



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titvlvs XVI. De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiae.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)

casu, quò post matrimonium, propter impotentiam ex maleficio omnino generali omnésque viros respiciente dissolutum, ab alio viro cognosceretur; cum enim his casibus impotentiam solummodo temporaneam; ac proinde Ecclesiam deceptam fuisse, planè appareat, dissolutò posteriori, priùs matrimonium est redintegrandum.

64. Porro iis casibus, quibus, posteriori matrimonio dissolutò, prius est redintegrandum, præmittenda redintegrationi est penitentia de periurio, si quod super impotentia jurandò conjugés commiserit,

*can. Requisisti cit. & c. Laudabilem ibi, Peractà penitentia cogantur ad conuivia priora redire*: quorum tamen textuum dispositioni satisfieri, si ante instaurationem penitentia à conjugibus inchoata, Turrecremata in *can. cit. in fine*; imò, si ea injuncta tantum sit, existimant *cit. Gutierrez cap. 11 §. n. 10. Sanchez disp. 99. n. 30. & Palao §. 12. n. 5.* quòd credibile non sit, Papam voluisse; ut ob dilatam executionem penitentia matrimonii instauratio cum peccati & animarum periculo differretur.



## TITVLVS XVI.

### De Matrimonio, contracto contra Interdictum Ecclesiæ.

**N**uptias dirimentibus (Raptum taxat ad *Lib. 5. Tit. 17. re-jecto*) omnibus; Sponsalibus etiam, uti & Religionis, Sacri Ordinis, Continentiæ & non nubendi Votis simplicibus explicatis, ad *hanc Rubricam* declaranda ex impedimentis, conjugium solummodo impedimentibus, Iuperiunt Interdictum Ecclesiasticum, Tempus feriatum & Crimen,

#### ARTICVLVS I.

#### De Interdicto, seu Veto Ecclesiæ,

#### SUMMARIUM.

1. Contra hoc generaliter, quod contra SS. Canones:
2. Specialiter contrahi dicitur, quòd inquitur contra prohibitionem su-

perioris:

3. Non solum Papæ vel Episcopi,
4. Sed etiam Parochi.
5. Irricum est conjugium initum contra interdictum Papæ,
6. Nuptialem contractum specialiter,
7. Vel generaliter, contra illud attentanda, irritantia.
8. Contra Papæ simplex,
9. Et quodcumque Episcopi &c. interdictum initum subsistit:
10. Nisi ab huius proposito sit lite, super sponsalibus ac destoracione pendente:
11. Idque secundum aliquos ex rescripto Alexandri III.
12. Et mente Glossæ, nuptias contra interdictum ex causa perpetua,
13. Etiam nuptias ex se non irritant, ab Episcopo propositum,
14. Et clausula irritante non munitur, inquitur

initas pro irritis habentis.

15. Verius etiam contra tale Episcopi interdictum contracte subsistunt.
16. Memoratio Papa rescriptio,
17. Glossa distinctione,
18. Nonnullorum DD. autoritate,
19. Sponse desolata injuria damnosque,
20. Et Ecclesie contemptu non obstantibus.
21. Interdicti Censura non impedit matrimonium:
22. Nisi durante contumacia,
23. Vel cum Benedictionibus celebrandis.
24. Ab excommunicato valide initur,
25. Non etiam licite,
26. Etiam si excommunicatio sit minor.

1. **E**cclésiæ Interdictio generaliter ad-versatur matrimonium quod-cunque, quod contra sanctionum Ecclesiasticarum præscriptum: & vel maxime, quod cum impedimento aliquo ipsum dirimente celebratur.

2. In specie autem contra illud contra-hi dicitur, quod initur à personis, qui-bus ejus contractus à legitimo superiore ex justa aliqua causa est interdictus; quod earum altera, prius initis cum alia spon-salibus de futuro, obligata: vel, si non vana suspicio sit latentis alterius obtaculi, conjugium inter ipsos impediens, vel omnino dirimentis: vel; quod ex futura earum conjunctione graves rixæ, inimi-citiæ aliæve incommoda, aut scandala timeantur, c. *fn.* §. *Cum autem de Clandest. despons. c. 1. & c. Ex literis 2. hâc Rubr.*

3. Superiorem autem, à quo, ejusmo-di causarum aliquâ suadente aut exigen-te, conjugium interdicti valeat, præter Romanum Pontificem, omnium Christi-ani Orbis Fidelium supremum judicem & Pastorem, proprium contrahentium Episcopum aut alium Prælatum Ecclesiasticum, in certi territorii populum juris-dictionem quasi Episcopalem obtinen-tem, Capitulum sede Vacante & istius

atque Episcopi Vicarium in spiritualibus generalem esse, explorati Juris est.

An etiam proprius ipsorum Paro- 4-  
chus, ambigit Goffredus in *Rubr. cit. n. 1.* quod causarum matrimonialium cog-nitio spectet ad judices solum Ecclesiasticos, c. *1.* junctâ Glossâ *V. Potestatem, de Con-sang. & Affinit.* non ad Parochos, aut ipsos etiam Decanos & Archidiaconos, Trident. *Sess. 24. cap. 20. V. Adhac, de Reformat.* Verum, licet hoc ita sit, & ejusmodi causarum cognitio definitiôque Parochiali superiorem exigat potestatem, prædictis tamen casibus, præsertim cum matrimonio opponitur impedimentum, illius contractum impedire & extra judicialiter interdicerè Parochus potest, atque ex officio debet: donec causa ad Ordina-rium judicem delata discutatur & per sententiam terminetur: quod non obscure insinuat Innocentius III. c. *fn. cit.* cujus §. *cum autem cit.* de casu probabilis con-jecturæ impeditur, personarum con-junctioni obstantis, agens ait, *Contractus interdicatur:* & clarè tradit §. *fn.* ibi, *Sanè, si Parochialis Sacerdos tales con-junctiones, personarum impedimentò labo-rantium, prohibere contempserit,* Hostiens. in c. *cit. V. Interdicatur,* ubi Joan. Andr. n. 9. Alex. de Nevo n. 16. Navarrus *Ma-nual. cap. 22. n. 68.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 5. n. 6.*

Majus dubium est de valore matri- 5-  
monii, contracti contra interdictum Ec-clesiasticum, & Imprimis quidem contra interdictum propositum ab ipso Papa: de cujus Apostolici interdicti efficacia, eoque insuper habitò celebrati conjugii va-lore DD. variè sentiunt & satis ambigè loquuntur.

Mihi præ aliis hac in re semper pla-cuit doctrina Ferd. à Castro. Palao *Tract. 28. disp. 4. p. 2. §. 1. n. 2.* & Gonzalez in c. *fn. de Matrim. contra interd. contr. n. 2.* dubita-

2. dubitationem hanc ad mentem Pontii *Lib. 6. de Matrim. cap. 7. n. 3.* resolutum auxilio distinctionis inter interdictum Papæ simplex sive conjugium prohibens simpliciter, & munitum decretò seu clausulâ irritante; & contra istud quidem, sive clausula irritante munitum, initos contractus matrimoniales tanquam invalidos indubitatè rejicientium, & de hujusmodi interdicto accipientium decretum Cælestini Papæ, eam, quæ, post celebrata cum alio sponsalia de futuro, contra Ecclesiæ prohibitionem ducta est, uxorem non esse, pronuntiantis *can. 1. §. Videtur, 35. q. 6.* & hujus suæ decisionis rationem eam subjicientis; *Nam quod contra interdictum & Ordinem Ecclesiæ factum est, ratum non haberi, tam divina quam humana Legis proclamatur auctoritas.*

6. Neque cum Goffredo *cit. n. 1.* hac in re discrimen aliquod statuendum est inter interdictum seu prohibitionem Constitutione generali, & Præcepto personali latum; cum hoc ab illo extensione potissimum ac duratione, non etiam obligandi & irritandi vi differat.

7. Neque etiam cum Alexandro de Nevo in *c. Ad dissolvendum 13. de Despons. impub. n. 21. & 22.* inter prohibitionem, munitam clausulâ speciali & solummodo generali; cum, sive ea matrimonium inter aliquos, specialiter factâ ejus expressâ mentione, sive generaliter, *Quidquid contra prohibitionem Apostolicam attentatum fuerit, ex justa causa irritet, eâ prohibitione contemptâ, celebratæ nuptiæ irritæ sint, sive Jus sive ratio spectetur;* quia ab Innocentio III, contra interdictum, firmatum ejusmodi clausula solum generali, præsumptuosè in initum contractum matrimoniale viribus omnino carere, decernitur *c. Ad dissolvendum cit. ut hunc textum accipit laudatus Pontius n. 7.* quòd, ut ille

rectè arguit, si ejusmodi clausula generalis conjugii postea initi valori non obstaret, non appareat, quid eâ in præjudicium tertii, in cujus favorem interdictum latum est, irritum reddatur; cum nihil sit, quod ei magis præjudicet, aut contra illud attentatum non subsistere magis expediat, quam est ipse contractus matrimonialis.

Si interdictum simpliciter & sine decreto seu clausula irritante propositum à Papa sit, contra id celebratos contractus matrimoniales pro illicitis duntaxat *cit. DD.* habent; quòd conjugiorum irritationem, cum res gravissima sit, ullâ simplici prohibitione induci, nec consonum rationi nec fide dignum sit; cum enim *Prohibere & Irritare* diversæ significationis verba sint, *c. Ex literis cit. c. Rursus 6. Qui clerici & vovent. & c. Unico de Voto in 6.* ex simplici prohibitione contra hanc gesti actûs nullitas perperam infertur; quia notissimi Juris Regula est, *Multa fieri prohiberi, quæ, si facta fuerint, obrinent roboris firmitatem, c. Ad Apostolicam 16. de Regular.*

Deinde de conjugio, celebrato contra interdictum Episcopi vel alterius Prælati Papæ inferioris; quod saltem regulariter subsistere, communis certaque doctrina est plerorùmque alicujus nominis ac notæ *TT. & JCT.* um cum enim hujusmodi Prælati impedimenta nuptialia, conjugii contrahendum dirimentia, statendi potestas Jure non competat, per tradita *Tra. 1. n. 181.* nuptiarû valori ipsorum statutû præceptum vel prohibitio ob stare non potest, neque obtinet *c. 1. & c. Ex literis cit.* quorum textuum priori Episcopi Paduani monitis ac mandatò contemptò: posteriori contra Cantuariensis Archiepiscopi, sub anathematis interminatione factam prohibitionem, inita conjugia ab Alexandro III. sustinentur, ab iisque conjuges discedere non permittuntur. *Sed, ut*

10. Sed, ut hoc regulariter ita sit, speciali tamen casu, quò ab ejusmodi prælato, multòque magis ab ipso summo Pontifice, matrimonium alicui etiam simpliciter interdictum est ex causa litis & appellationis, super sponsalibus carnali commercio consummatis pendens, contra interdictum hoc initi matrimonii valor in dubium & quæstionem vocatur. Non quidem spectatò Jure, S. Synodò Tridentinà antiquiori; cum eò tempore sponsalia de futuro, superveniente inter sponso carnali copulâ, in matrimonium transierint; quò ad peccati saltem gravioris exclusionem in commercio illo affectum conjugalem intervenisse, præsumptio fuerit juris & de jure, probationem in contrarium saltem directam non admittens, *c. Veniens 15. c. Is qui fidem 30. de Spons. & matrim. c. De illa 3. & c. Per tuas 5. de Condit. apposit.*

11. Sed Jure modernò, & postquam matrimonia præsumpta cum orto ex his ligaminis impedimento à S. Synodo illa sublata sunt *Sess. 24. cap. 1. §. Qui aliter, de Ref. Matrim.* hòc enim etiam Jure spectatò matrimonium initum contra Ecclesiæ interdictum, à quovis prælato Ordinario ex ejusmodi causa propositum, irritum esse, per celebres Romanæ Curie Advocati contendunt moventurque *c. Tua fraternitas 4. de Sponsa duor. ubi Alexander III. Archiepiscopo Januensi ita rescripsit, De his verbis, qui coram te super desponsatione facta per consensum mutuum de presenti controversiam movent & appellatione pendente, quam ante sententiam vel cognitionem causa ad sedem Apostolicam interponunt, accipiunt alias in uxores, hoc arbitramur agendum; ut, si amodo in tali casu duxerint appellandum, eis in Ecclesia publicè interdicat, ne ante decisionem cause aliud contrahant matrimonium. Et si contra interdictum Ec-*

*clesia publicè factum venire præsumserint, matrimonium tam presumptuosè contractum poteris irritare.* Ex cujus Apostolici rescripti tenore ita arguunt, *12. irritum nullumque est matrimonium, initum contra interdictum à Prælato Ordinario publicè factum, si interdicti seu prohibitionis causa non merè Temporanea, sed Perpetua sit, ut in c. Recitatum notat Glossa V. Poteris, quam sequuntur Panormit. in c. cit. n. 4. Henric. de Boich in c. fin. hanc Rubricâ Præpositus in c. 1. eadem Rubr. n. 2. Florenf. Oper. Jurid. Tom. 2. tit. de Sponsal. §. Prohibitio, Chartar. Decif. Mediol. 22. n. 11. & alii. Atqui causa sponsalium de futuro, quibus sponsæ defloratio accessit, causa perpetua est; cum ex ea ortum sponsæ defloratæ, probrum, & prolis, si quæ suscepta est, illegitimitas matrimonii cum sponso non secutò semper duret: matrimonio autem cum isto secutò tollatur; quod inter eos contrahendum matrimonium retrahatur ad tempus, quò inter eos carnalis copula intercessit & proles est concepta, sublataque turpitudinis causâ præcedentia omnia purget, *c. 1. & c. Tanta 6. junctâ Glossâ V. Legitimi, Qui fil. legit. Panormit. in c. Tanta cit. n. 2. Covarr. p. 2. de Sponsal. cap. 8. §. 2. n. 7. & Pirrhing ad Rubr. Qui fil. legit. n. 31. Ergo matrimonium, quod in superhabito Ecclesiæ interdictò, ex causa sponsalium ac deflorationis sponsæ propositò, contractum est, irritum, nullumque erit. Cui suo discursui robor addunt, occurrèdo effugiis & convellèdo objectiones, quibus ejus vis declinatur aut enervatur.**

Neque enim primò, inquiunt, *c. Tua fraternitas cit.* dispositio solùm procedit in interdictò Papæ; quia *c. cit.* Papa ipse nihil egit, suòve nomine & autoritate agendum præcepit; sed solummodo præscripsit vel declaravit Jus, ab Archiepiscopo in

po in proposito, & ab aliis Ecclesiarum Prælati in similibus casibus observandum.

13. Neque secundò; quòd juxta dicta Episcopis aliisque Prælati Papæ inferioribus non competat potestas introducendi impedimenta dirimentia matrimonium contrahendum; quia, esto hoc nequeant per statutum sive ordinationem legalem ac stabilem, inducere tamen ejusmodi impedimentum possunt per matrimonium inter aliquos ex causa perpetua factam inhibitionem, ut sponsalia per carnalem copulam consummata sunt, *c. Tua Fratemitas cit.* junctâ Glossâ *cit.*

Neque tertio ex decisione *c. cit.* ad matrimonium contra interdictum contracti nullitatem inducendam necessarium est; ut causa inhibitionis perpetua sit impedimentum dirimens, cum; quia, si Glossâ *Causæ perpetuæ* nomine impedimentum dirimens intellexisset, supervacanea & inutilis esset; quòd, matrimonium contractum contra interdictum propositum ex tali causa perpetua irritum esse, jam aliunde notum sit, & adnotationem Glossæ magistralis non mereatur: tum verò; quia *cit.* Glossâ non distinxit inter impedimenta & alias causas inhibitionis: sed, ut causas, ex quibus facta inhibitiō nullitatem inducit, omnes complecteretur, inter causas interdicti perpetuas & temporales: & contra inhibitionem ex causa perpetua factam contracta matrimonia indiscriminatim irrita decerni posse, pronuntiat: quod etiam adnotavit Panormit. *cit. n. 4.* ubi Glossam *cit.* & causam interdicti perpetuam ac temporalem declarans, perpetuam esse ait, *Quando prohibitionis causa non est restricta ad certum tempus, puta, si prohiberetur aliquid propter malum, quod inde sequi potest, vel prohiberetur matrimonium propter consanguinitatem vel aliquid simile: non*

*perpetuam sive temporalem dicit, quando est restricta ad certum tempus v.g. veneratio diei feriata.* Quam distinctionem, ad dignoscendam actus contra prohibitionem gesti nullitatem, probè notandam, idem interpres ait in *c. Ad Apostolicam cit. n. 11.*

Neque quartò *c. Tua cit.* solummodo procedit, quando interdictum munitum est clausula irritante ipsum matrimonium contrahendum; quia aperte adversatur *c. cit.* textus; cum istò matrimonium quidem contractus expressè prohibitus sit, sed absque ejus contrahendi speciali & expressa, imò etiam absque generali irritatione *contra prohibitionem attentandorum*, non obscurò argumentò, clausulam, sive specialiter ipsum matrimonium sive generaliter *quacunq; contra prohibitionem attentanda* expressè irritantem non exigi, sed sufficere solum prohibitionem matrimonii contrahendi; ut ista clausulam irritantem includere intelligatur.

Demum confirmationis locò addunt quòd, si matrimonium contra interdictum propositum ex causa litis atque appellationis, super sponsalibus ac defloratione penedentis, contractum jure subsisteret, sponsa deflorata perpetuum præjudicium ac damnum pateretur: sponsus verò super illis in judicio conventus ex matrimonio, in sponsæ præjudicium fraudemque & Ecclesiæ contemptum præsumptuosè contracto, perpetuum commodum reportaret, contra Regulam Juris utriusque *c. Sedes 15. c. Ex renore 16. de Rescript. c. Ex literis 2. de Dolo, l. Itaque 12. §. 1. ff. de Furtis &c.*

At, quantumcunque hæc speciosa sint, meliori tamen ratione alii conjugii, quod insuper habitò Ecclesiæ interdictò, ex litis & appellationis super sponsalibus & defloratione pendens causa proposita, ista

fito, in initum est, valorem propugnant; quod ejusmodi matrimonii nullitas neque ex recitato *c. Tua fraternitas cit.* tenore, neque ex Glossa *V. Poteris cit.* eruat.

16. Non ex illius *c.* tenore; quia, licet hoc relato Alexandri III. rescripto agatur de inhibitione matrimonii, proposita à Prælo Papâ inferiore, ejus tamen decisio solum procedit in inhibitione matrimonii, lite & appellatione pendente, facta ex causa in iudicium deducti & nondum probati impedimenti dirimentis: de quo donec cognoscatur & legitime constet, matrimonium eâ Ecclesie inhibitione insuper habitâ, contractum Ecclesie prælati irritare, hoc est, ad excludendum animæ & peccati periculum personas eò copulatas à cohabitatione primùm separare, & dein impedimentò legitime probatò, ipsum latâ divortii sententiâ irritum nullumque pronuntiare potest, imò debet. Quod si impedimentum non fuerit probatum, cohabitationi restituti simul manere permittendi sunt. Quem *c. cit.* intellectum apertè approbat Glossa *cit.* Imò *c. cit.* dispositio specialiter emanavit super duplici matrimonio, per consensum mutuum de præsentis inito ab eodem, quorum posterius, dum lis & appellatio super priori penderet, contra Prælati Ecclesiastici interdictum est contractum; hòc enim casu ex rescripto Alexandri III. posterius *tam presumptuosè contractum irritari*, hoc est, eò copulati à cohabitatione separari, possunt, imò debent ac solent, quousque cognoscatur de prioris valore & ex hoc orto ligaminis impedimento: *Quò probatò separantur ex toto, latâ divortij sententiâ inter eos: quò non probatò remanebunt simul*, verba sunt ipsius Glossæ *V. Poteris cit.* ut adeò *c. Tua fraternitas cit.* à laudato Papa principaliter non tam interdicti Ecclesia-

stici efficacia, quàm duorum matrimoniorum prioris, etiam litigiosi, ex eoque orti ligaminis impedimenti vis declaratur: quod etiam colligitur partim ex eo; quòd *c. cit.* textus à Gregorio IX. à quo Decretalibus insertus est, subiectus non sit Rubricæ de Matrimonio contra Eccles. interdictum contracto: sed Rubricæ de Sponsa duorum, quâ eique subiectis textibus principaliter proponitur jus, in desponsationibus cum duabus de præsentis attentatis observandum, & ex prima desponsatione per verba de præsentis orti ligaminis impedimenti vis declaratur, ut Rubricæ huic subiectorum textuum lectio planum reddet: partim verò ex circumstantiis temporis, quò *c. Tua fraternitas cit.* relatum, & hoc proximè antecedens ejusdem Alexandri, & proximè subsequens Innocentii III. rescripta emanarunt; cum eò tempore in variis locis invalisset consuetudo, vi cuius casu, quò idem duo matrimonia iniisset, à DD. ipsisque iudicibus Ecclesiasticis & in Curia quoque Romana aliquando contra prius ratum pronuntiabatur pro posteriori consummato, ut refertur in Concilii Lateranensis III. *Append. p. 6. cap. 8. 17. & 18.* Cui consuetudini vel potiùs corruptelæ occurrendum, rescripserunt imprimis casu, quò prius solummodo ratum, posterius verò consummatum fuisset, *c. Licet 3. & c. fin. de Sponsa duor.* deinde, quò prius (verisimilius etiam ratum tantum) erat litigiosum, litisque & appellationis pendentiâ atque Ecclesie etiam interdictò insuper habitis, posterius contractum esset, *c. Tua fraternitas cit.* Unde planum est hòc textu principaliter, quæ prioris desponsationis per mutuum consensum de præsentis initæ sive matrimonii rati ex eoque orti ligaminis impedimenti vis, & quomodo tali casu procedendum sit, declarari, & statui; ut imprimis posteriori

matrimonio copulati separentur, & si cognita causa de priori legitime constiterit, posterius nullum declaretur, eoque conjuncti separentur: si autem prius matrimonium probatum fuerit, qui separati erant, cohabitationi restituantur, ex mente Glossæ cit.

17. Neque ex Glossa, ab eaque tradita inter causam prohibitionis Perpetuam & Temporalem distinctione, propositi conjugii nullitas eruitur; quia ante datam *c. Tua fraternitas cit.* explicationem disertè approbat verbis paulò ante relatis, ex quibus duo desumuntur. Primum est, matrimonium, contra interdictum Prælati Papæ inferioris contrahendum, irritandi vim totam à Jure Ecclesiastico, istoque constituto impedimento dirimente, non ab ejusmodi interdicto provenire, cum; quia, probatò tali Juris impedimento, illò copulati per sententiã perpetuò separantur: eò verò non probatò remanent simul, sicut in simili casu Clemens III. fieri præcepit *c. Tenor 10. de Sent. & re jud.* tum verò; quia, ipsa Glossa mox subjicit, *Interdictum Ecclesie non est tanta efficacia, ut separetur matrimonium contra illud contractum, nisi subsit causa perpetua*, hoc est impedimentum dirimens; cum, tali impedimento probatò, matrimonium dissolvendum: eò verò non probatò stabilendum sit, ex mente Glossæ, Toletæ *Summa Lib. 7. cap. 4. n. 2. Chartar. cit. decis. 22. n. 12.* & aliorum. Alterum est, causæ perpetuæ nomine solum impedimentum dirimens venire, partim; quia ipsa Glossa *Causam perpetuam & Impedimentum dirimens* pro eodem sumit, quòdque ante *Causam perpetuam*, postea *Impedimentum dirimens* vocat: & causam temporalem impedimentum impediens dicit, & pro istius causæ exemplis tempus seu diem feriatum & sponsalia de futuro allegat; partim verò; quia suam de

causæ perpetuæ vi doctrinam declarat firmatque allegatis *can. Vides 10. junctâ Glossâ V. Dissolvi dist. 10. can. Contra dicimus, 33. q. 4. & c. Ad dissolvendum cit.* quibus locis omnibus agitur de impedimento Consanguinitatis, matrimonium contrahendum irritante. Neque, si Glossa Juri consentanea sit, causæ perpetuæ nomine aliud denotare potest; cum causas perpetuas, matrimonium contra Ecclesiæ interdictum contrahendum irritantes, impedimenta dirimentia esse, non solum ex *can. & c. cit.* sed ex innumeris aliis Juris textibus liqueat: & ultra impedimenta dirimentia, etiam sponsalia per carnalem copulam consummata aut aliud quidpiam, etiam accedente Prælati Papæ inferioris interdicto, causam perpetuam matrimonium contrahendum irritantem esse, ullò juris textu expressum non reperiatur.

Sicut Glossa, sic causæ Perpetuæ nomine nuptiale impedimentum dirimens intelligunt ab adversa parte allegati. Innocentius in *c. Tua cit. V. Irritare Hostiens. §. Etsi contra*, Ant. de Butrio *n. 5. Speculat. Tit. de Matrim. contr. interdict. contr. n. 1. Florens. §. Prohibitio cit. Chartar. decis. 22. cit. n. 10.* & alii, causæ perpetuæ exemplum aliud non statuentes, quam impedimentum dirimens; ut adeo pro controversi matrimonii nullitate allegari nemo, & ipse etiam Panormitanus ac Præpositus non possint. Ille, quòd cum *n. 4. cit.* causam perpetuam in aliis actibus esse dixisset *Aliquod malum, quòd inde sequi potest*, in matrimonii prohibitionem esse, ait, *Consanguinitatem vel aliquid simile*, ubi *Tò Simile* denotat aliquid ejusdem qualitatis scilicet impedimentum dirimens. Ille verò, sive Præpositus, qui post *n. 2. cit.* eum quidem, qui post prolem ex ea, quam fide juramento datâ sibi desponsarat, susceptam aliam ducit, ad primam



primam redire teneri, asserit: sed hoc ante Concilium Tridentinum, quò tempore Præpositus scripsit, & ex veterum canonum dispositione desponsationi de futuro accedens carnale commercium inter sponfos induxit matrimonium præsumptum, *c. Veniens c. Is qui fidem e. De illis c. Per tuas cit.* & propterea matrimonium cum alia initum irritum fuit propter impedimentum ligaminis cum alia intercedens.

Neque ex hoc *c. Tua cit.* intellectus inutilis & supervacanea evadit inhibitiõ matrimonii secundi; quia *in c. cit.* casu, & quoties super matrimonii valore lis & appellatio pendet, interdictum proponitur ad novi matrimonii contractum & contracti consumationem impediendam, donec prius initi nullitas sit explorata. Ex qua causa, si ejusmodi interdicto contempto novum matrimonium contrahatur, eò præsumptuosè copulati separantur, donec vel probatò impedimentò, perpetui divortii feratur sententia, vel illò non probatò, cohabitatio permittatur, Chartar. Decis. cit. n. 12.

Atque ex his planè corruunt; quæ allegata sunt à parte adversa; cum pro matrimonii, lite & appellatione super sponfalibus ac defloratione pendentibus, contra Prælati Papæ inferioris interdictum contracti nullitate non faciat *c. Tua fraternitas cit.* textus & Glossa, imò nec DD. pro ea adducti: & illius nullitatem ex interdicto provenire, non evincatur ex verbis, *Matrimonium tam præsumptuosè contractum poteris irritare, cum;* quia verbum *Irritare* accipi nequit pro *Irritum facere* sive *Rescindere*; quòd matrimonium semel validè contractum, præsertim consummatum, propter suam insolubilitatem irritari sive rescindi non possit: sed accipi debet pro *Separare à cohabitatione* vel *Irritum declarare*: tum

verò; quia verbum *Poteris* denotat arbitrium non omnino liberum, sed regulatum à Jure: vi cuius & ipsius Glossæ *cit.* ita præsumptuosè copulati separari debent, donec de causa cognoscatur & vel probatò impedimentò per sententiam divortii perpetuò separentur, vel eò non probatò, cohabitationè restaurare & simul manere permittantur.

Neque pro conjugii contra interdictum contracti nullitate facit injuria illata sponfæ defloratæ, susceptæ prolis damnum vel Ecclesie contemptus, partim; quia injuria sponfæ & prolis damnum idem esset, si sponfus matrimonium cum alia iniisset ante Ecclesie interdictum: idem etiam Ecclesie contemptus esset, si illud initum esset contra interdictum propositum ex causa litis super solis sponfalibus, vel super sola defloratione pendentibus: quibus tamen casibus, modernò Ecclesie Jure spectatò, illud irritum non fuisse, res explorata & agnita est ab ipsa parte adversa: partim verò; quia injuriam & damnum sponfæ & proli illatum resarcire, si non ex æquo, saltem quâ potest ratione sponfus tenetur & judicis auctoritate compellitur. Ecclesie verò contemptus non perpetuà, sed temporaneã duntaxat (donec de causa cognoscatur) matrimonii separatione & penitentia impositione vindicatur, *c. 1. c. Ex literis cit.* & Glossa *in c. Tua & V. Poteris cit.* quomodo etiam compensatur commodum, quod referre videtur ex fraude & iniquitate.

Ecclesie interdicto aliqui accensent Interdicti Ecclesiastici Censuram. Sed immeritò; quantumvis enim tempore & locò interdictò Sacramentorum administratio & receptio, præterquam in casibus Jure exceptis, sit prohibita *c. Si sententia 16. V. Cum vero, de Sent. excommunicat. in 6.* Jure autem excepta, & interdi-

interdicti tempore permiffa folummodo funt Sacramenta Baptifmi, Confirmatio- nis, Pœnitentiæ & Euchariftiæ per modum Viatici, *c. Non est 11. de Sponf. & Matr. c. Quod in te 11. de Penit. & Remiff. & c. Alma 24. de Senf. excom. in 6.* eò tamen non prohibetur Contractus: cujus rationem primò & per fe habet matrimonium.

Neque multum refert, quod hoc etiam fit Sacramentum, cum; quia ratio Sacramenti, ei adjecta à Christo, accessoria est contractui; ac proinde, speciali prohibitione seclusa, istius permissionem sequitur, per *Reg. Accessorium 42. in 6.* cum accessoriè fieri multa permittantur, quæ principaliter prohibentur, *arg. l. 1. ff. de Fundo dotali*: tum verò; quia illà *§. fin. cit.* prohibitionem solum subtrahuntur Sacramenta purè talia & omnino spiritalia, & quorum dispensatio Ecclesiæ ministris à Christo est commissa: cujusmodi non est Sacramentum matrimonii; cum ejus ministri sint ipsi contrahentes.

Quare, sicut sponsalia, sic ipsum etiam matrimonium tempore & loco interdictò, non validè duntaxat, *arg. c. Capellanus 4. §. Quia ergo, de Ferris*: sed & licitè contrahi, cum Panormit. *in c. Non est cit. n. 8. Sylvestro V. Interdictum §. n. 9. Navarro Manual. cap. 27. n. 179. Covarruvia in c. Alma cit. p. & §. 2. n. 7. & c. contra Suarez de Censur. disp. 33. f. 1. n. 51. & Pontium cit. Lib. 6. cap. 9. n. 4. satis probabiliter defendunt cit. Sanchez disp. 8. n. 2. & 6. & Laiman.*  
 22, *Lib. 1. Tract. 5. p. 4. cap. 2. n. 1.* excipientes imprimis specialiter interdictos, suà in contumacia perseverantiâ ponentes obicem gratiæ recipiendæ per Sacramentum. Deinde Benedictiones nuptiales: quæ, etsi matrimonio sint accessoriæ, ex speciali tamen ratione permiffæ non

funnt; quòd, cum à Sacerdote & tempore sacrificii Missæ, adhibitis quibusdam orationibus fiant, contineantur sub Officio Divino, in loco & tempore interdictò Clericis non permisso præsentibus laicis: nisi isti habeant privilegium assistendi Divinis, & cum moderatione à Bonifacio VIII. præscripta *o. Alma cit. §. Nec tunc V. Adjuvamus*: quâ observatâ etiam nuptias benedici posse, docent *cit. Sanchez n. 11. & Palao Tract. 29. disp. 5. p. 4. §. 1. n. 27.*

Ad idem interdictum aliqui reducunt Excommunicationem. Imò Martin. de Magistris à Cajetano 2. 2. q. 154. art. 2. dub. 3. relatus, ab excommunicato, saltem vitando, initum conjugium invalidum asserere non dubitavit; quòd ita censurato, & cum ipso cæteris fidelibus interdicta sit mutua communicatio; ac proinde ad hanc per contractum matrimonialem se non valeant obligare.

Sed immeritò, cum; quia, etsi absolute potuerit, nullo tamen Juris textu ab eo contractum matrimonium ab Ecclesia est irritatum: Imò *c. Significasti. de eo, qui duxit, quam poll.* matrimonium initum ab excommunicato dilertè legitimum judicatur: dummodo neuter in defunctæ uxoris mortem sit machinatus, & illâ vivente atque interveniente adulteriò, fidem sibi non dederint de matrimonio contrahendo, & hoc non contraxerint de facto: tum verò; quia eà censurâ ligati obligationis ad mutuam cohabitationem & actus conjugales non sunt incapaces, *arg. c. cit. ut ibi notant Joan. Andr. Panormit. & Alex. de Nevo omnes n. 3. Gaëta in can. Ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 13. Covarruv. de Sponsal. p. 2. cap. 6. pr. n. 3. & ipsemet D. Angelicus in 4. disp. 39. q. unic. art. 1.* Quod etsi verissimum sit, graviter tamen ita censuratus peccat, si matrimonium ante absolutionem

soluionem contrahere præsumat; cum ex una, communis T. T. sensus sit, graviter peccare eum, qui in excommunicatione majore administrat aut recipit Sacramentum: Matrimonii autem Sacramentum sibi mutuò administrent & recipiant ipsi contrahentes, Navarrus *Manual. cap. 22. n. 81.* Sanchez *Lib. 7. disp. 26. q. n. 3.* & Pontius *Lib. 6. cap. 10. n. 2.* idem ferè docentes de ligato excommunicatione minore; quòd Sacramentorum receptio etiam huic sub gravi peccato sit interdicta *c. fin. V. Peccat autem, de Clerico excom. vel deposit.*

## ARTICULUS II.

## De Die, seu Tempore feriato.

## SUMMARIUM.

27. Ratio Nuptiarum prohibitionis certis temporibus:  
 28. Quæ olim satis ampla,  
 29. A Concil. Tridentino restricta sunt,  
 30. Saltem quoad benedictiones & solennitates nuptiarum.  
 31. Imò, spectato jure antiquò, etiam quoad contractum,  
 32. Permissum modernò,  
 33. Et usu plurium Ecclesiarum:  
 34. Non etiam Germaniæ nostræ.  
 35. Nuptiarum prohibitio ab initio prima hora noctis Feria IV. Cinerum:  
 36. Uti & primà Adventus Dominicæ inchoatur.
27. **N**uptialia foedera cum solennitate, conviviis, choreis, aliisque lætitiæ, aliquando satis effrenatæ, signis plerumque

Gentium moribus iniuri, animadvertens Ecclesiæ, sacratoriibus anni diebus, quibus Fideles Orationibus, Jeuniis, Vigiliis & cæteris Pœnitentiæ operibus liberius vacare & intentiores esse, optat, nuptias, quòd à spiritualibus illis exercitiis nimium abstraherent, interdixit. Cujusmodi dies & tempora, olim satis ampla, hodie angustioribus terminis sunt conclusa; olim enim nuptiarum interdictum, quod inter primam Dominicam Adventus & Epiphaniam, inter Dominicam Septuagesimæ & Octavam Paschæ, & aliquando inter feriam secundam Rogationum & Octavam Pentecostes intercedebat, tempus omne: & præterea duas trèsvè hebdomadas, Nativitatem S. Joannis Baptistæ antecedentes, complectebatur, *can. Non oportet 8. & 10. Ec. 33. q. 4. c. Capellanus 4. §. Quia ergo, de Feriis Ec.* Hodie verò ab Adventu tantum usque ad Epiphaniam & à feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusivè, ea nuptiarum prohibitio observatur, ex decreto S. Synodi Tridentinæ *Sess. 24. cap. 10. de Ref. Matrim.* Quòd, & antiquò etiam Jure, diebus illis nuptiales benedictiones & cæteras solennitates, ad pompam & lætitiæ contestationem comparatas, prohibitas: & contra celebrationem sponsalium, eorumque vi contrahendi matrimonii publicas denuntiationes permissas, nemo faciliè in controversiam vocat.

Dubium autem controversumque est, an illicitus etiam sit ipse contractus matrimonialis; hunc enim etiam interdictum, cum Joan. Andr. *in c. Capellanus cit. n. 3.* & Hostiens. *in Summa, ad hanc Rubricam num. 3.* aliqui Doctores volunt, præcipuè nixi autoritate D. Thomæ, id non obscure tradentis *in 4. dist. 32. q. unic. art. 5. questio. 4.* & satis claro jure *can. Non oportet & aliorum*

hiorum textuum *cit.* uxorem duci & nuptias celebrari generaliter prohibentium: & *c. Capellanus cit.* ubi ex tempore interdicti suspendi indistinctè dicuntur. Id ipsum suadent ratione; quòd matrimonium celebrari debeat in facie Ecclesiæ: in qua non minùs, quàm cum benedictionibus celebrari eò tempore prohibetur. Sed hæc fati levia sunt; quia matrimonium, quod solò Parochò & testibus præsentibus sine benedictione, & ulà pompâ, lætitiæque signis initur, in facie Ecclesiæ celebrari Jure censetur. Majorem vim habent *canon. cit.* & ita sine ulla alia solennitate contracti matrimonii, non quidem valori, sed honestati adversantur: idque sacris illis anni temporibus, Jure saltem antiquo, illicitum fuisse, persuaserunt Pontio *Lib. 6. de Matrim. cap. 8. n. 7. & Palao Tract. 28. disp. 4. p. 2. §. 1. n. 4.* Sed quidquid sancitum aut receptum fuerit Jure aut moribus antiquis

32. Recentiori Jure *c. Capellanus cit.* & novissimis decretis Concilii Tridentini, antiquas solennium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari, præcipientis *cap. 10. cit. & can. 11. Sess. cit.* temporibus istis solennitates duntaxat, sive nuptialis benedictio cum solenni traductione sponsæ, convivii, choreis: non ipse matrimonii contractus, aut etiam consummatio est interdicta. Unde modernò Jure præcisè spectatò, quocunque anni tempore matrimonium, præmissis etiam consuetis denuntiationibus, contrahi à fidelibus posse, cum Glossa *in c. cit. V. Quocunque, Panormit. ibid. n. 4. Sylvestro V. Matrimonium 7. q. 2. d. 2. Navarro Manual. cap. 21. n. 71. & aliis defendit Henríquez Lib. 11. cap. 16. n. 2. Sanchez Lib. 7. disp. 7. n. 12. & huic aliàs, ubi potuit, contrarius Pontius *cap. cit. n. 8. eundemque secutus Palao cit.**

n. 4. Quod DD. isti firmant imprimis Cardd. Concilii Interpp. declaratione: deinde usu plurium Ecclesiarum, in quibus matrimoniis, quocunque tempore contrahantur, interesse Parochi permittuntur: & demum ratione; quòd conjugia ita iniri permitti, omnino conveniens fuerit ad evitanda pericula gravium peccatorum.

Verùm, quia pericula hæc in regionibus Septentrioni vicinioribus, vel ignorantur, vel non magni æstimantur, in multis Germaniæ nostræ diocesis ejusmodi usus non viget. Imò consuetudine ei contraria Parochi matrimonii, etiam absque ullis lætitiæ signis celebratis, non assunt extra calum necessitatibus, v.g. cum in articulo mortis constitutus ad legitimandas ioboles, aut miles statim discessurus ducit concubinam, ut variorum Germaniæ nostræ TT. testimoniiis adductis comprobatur Gobat *Experient. Tract. 9. n. 71.* Imò istiusmodi etiam casibus Ordinarii consensum, ubi potest, requiri consuevisse, omni exceptione major testis est Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. 15. n. 1.*

In dubium etiam vocari solet, à qua diei hora Adventus & solennium nuptiarum prohibitio incipiat. Ferià quartâ Cinerum prohibitionem istam à media nocte, sive finita ultima hora tertiæ, & incipiente prima hora quartæ feriæ inchoari, ferè consentiunt DD. & Teutonum, nuptialibus solennitatibus ferià tertiã usque ad mediam noctem liberrimè indulgentium, moribus est receptum, teste laudato Gobat *n. 74.* In Adventu autem pridie primæ ejus Dominicæ, sicut Officium, sic etiam solennium nuptiarum prohibitionem, de Jure & seculi consuetudine *cit.* Sanchez *n. 2.* à primis Vesperis: Pontius autem *cit. cap. 8. n. 5.* post eas &, sicut feriã quartâ Cinerum, à

media nocte vult inchoari; quòd Tridentini decretum & Jura antiquiora, nuptias ab Adventu prohibentia, interpretationem accipiant à Concilio Ravennatenfi XI. celebrato sub Clemente V. prohibitionem illam inchoari aferente ab Adventus primâ Dominicâ: quam à media nocte inchoari, certum est. Unde Dominicam istam antecedente Sabbatho totò nuptias celebrare fideles, spectatò Jure, possent: & fortassis in Germania quandoque celebrarent, si earum solennitati carniprivium & Sabbathinæ diei veneratio non obstaret,

## ARTICULUS III.

## De Criminibus Conjugium Impedientibus,

## SUMMARIUM.

37. *Varia crimina matrimonio obstant.*
38. *Id impediunt I. Fornicatio cum consanguinea uxoris vel sponsæ,*
39. *II. Raptus alienæ sponsæ,*
40. *Istiusque in raptum consensus:*
41. *Saltem, si sponsa sit de presenti.*
42. *III. Cades propria uxoris,*
43. *Facta auctoritate propriâ:*
44. *Etiamsi ea in adulterio sit deprehensa.*
45. *Cade mariti impedimentum induci, quidam negant.*
46. *Meliùs alii affirmant.*
47. *IV. Presbytericidium.*
48. *V. Matrimonium cum Moniali.*
49. *VI. Susceptio prolis suæ ex Baptismo sine necessitate.*
50. *VII. Penitentia publica.*
51. *VIII. Prolis suæ interfectio.*
52. *Testimonium Navarri de bonum criminum impedimentis,*
53. *Consuetudine sublatis.*

**V**aria sunt crimina, producentia impedimentum nuptiale: quorum quædam, ut in lui conjugis mortem Machinatio, Adulterium cum contractu vel promissione matrimonii, istius contractus Clandestinus & Raptus, contrahendi matrimonii animò perpetratus, matrimonii valori: alia complura eorum honestati duntaxat obstant. Posteriorum

Primum est Incestus, commissus cum consanguinea suæ uxoris vel cum consanguineo sui mariti *c. 1. & c. Transmisso 4. de Eo, qui cognovit consang. uti & Fornicatio sponsi de futuro cum sponsæ suæ consanguinea, huic primò gradu conjuncta, hoc est, cum sponsæ matre, filia vel sorore: & sponsæ cum primi gradus consanguineo, hoc est, cum patre, filio vel fratre sponsi, c. Veniens 2. eadè Rubric. Ex cujusmodi crimine ortum nuptiale impedimentum supra Tit. 13. à n. 4. est declaratum.*

Secundum, Raptus alienæ sponsæ; istius enim raptori, non cum rapta duntaxat, sed etiam cum alia quacunque matrimonii ineundi jus ademptum est *can. Statutum 27. q. 2. verbis, Statutum est à sacro conventu, ut, si quis sponsam alterius rapuerit, sine spe conjugii maneat: & qui ex istis interpretationem accipit, can. Si autem 36. q. 2. Rationem reddit Sotus in 4. dist. 27. q. unica, art. 1. quòd, qui alienum conjugium perturbare ausus est, proprii contrahendi jure meritò privetur; ut in eo, in quò deliquit, puniatur, c. Cum olim 33. de Offic. deleg.*

Idem cuicumque alteri viro nubendi impedimentum etiam à sponsa rapta, si raptori consentiat, contrahi, cum Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 12. n. 44. vult Palao cit. p. & h. 2. n. 9. & satis clarè à contrario deductò argumentò desumitur*

M m

EX CAN.

ex *can. Statutum cit.* verbis, *Et si ipsa eadem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur.* Unde etiam ista, matrimonii, quò ligata est, vinculo dissolutò, aliud conjugium inire non potest; quòd tali casu tam matrimonio, quam viro, cui desponsata est, injuria ab ipsa non minor, quam à raptore inferatur. Quæ sicut satis certa, ita

41. Incertum controversumque est, an *can. Statutum cit.* de sponsa de præsentitantum, vel etiam de futuro, sit intelligendus. Sunt enim, qui in *can. cit.* cum Glossa *V. Rapuerit*, Archidiacono in *pr.* & Turrecremata *n. ult.* eò proditum nuptiarum impedimentum foeminae etiam de futuro tantum desponsatae raptu contrahi, velint; quòd textus loquatur generaliter & sine ulla inter personas desponsatas distinctione; ideoque locus sit *arg. can. Consulisti 18. V. Et quod 2. q. 5. § 1. De pretio 8. ff. de Public. in rem act.* Ita isti & probabiliter omnino, Alti tamen non minori probabilitate cum Paludano in *4. dist. 34. q. 1. art. 2. n. 3. & cit. Sanchez n. 45. can. cit.* verba, *Si quis sponsam alterius rapuerit*, de sponsa de præsentit, sive uxore aliena, accipienda volunt, eà permoti ratione; quòd in materia poenali & odiosa sponsæ nomine, non generaliter quæcunque, sed ea duntaxat veniat, quacum sponsalia per verba de præsentit sunt contracta.

42. Tertium est Uxorididium. Non quidem animò matrimonii cum alia cædis conscia in eamque consentiente ineundi; cum hac intentione perpetrata conjugis cædes matrimonium omnino dirimat, *c. 1. de Convers. infidel. ut Tit. 7. n. 13.* est dictum. Neque etiam, si uxor de crimine convicta & ad mortem condemnata auctoritate publicâ interficiatur, *arg. can. Quicumque 33. q. 2. ibi, Qui uxorem absque lege & sine probatione inter-*

*fecerit.* Unde à contrario inferitur, secundum leges & ex publica probatione factâ uxoris interfectione matrimonium non impediri. Sed, si ea ex præcipiti ira, odio, vindicta, privatâ auctoritate occidatur; hòc enim casu maritum, uxoris suæ interfectorem, à conjugio cum alia ineundo impediri, patet ex *can. Interfectores 5. can. Quicumque cit. can. Admonere, 33. q. 2.*

An etiam, si occidat eam in adulterio deprehensam, dubium facit; quòd ejus cædem non solum præscâ à Romulo latâ, teste Plutarcho: sed posterioribus etiam legibus marito permissam, clarè satis innuat *can. Inter hæc 6. q. cit.* ubi Nicolao I. de uxore adultera proposita est quæstio, utrum marito liceat secundum *Mundanam legem* eam interficere; idemque Longobardorum & aliarum Gentium legibus & moribus receptum fuisse, perhibeat Tholosan. *Synag. Lib. 36. cap. 6. à n. 21.* & secundum *l. Gracchus 4. C. ad l. Jul. de Adulter.* etiam adulteri in flagitio deprehensi interfectorem puniendus sit, ob justum dolorem, quem difficillimum sit temperare *l. Si adulteriu 38. §. 8. ff. ad l. Jul. de Adulter.*

Nihilominus uxoris, etiam adulterae, cædem ademptione spei conjugii cum alia quacunque ineundi plecti, Canonibus Ecclesiastici voluerunt, *can. Interfectores 5. & can. Inter hæc 6. q. cit.* quibus & *can. Si quod verius 9. q. cit.* textibus leges Civiles, si quæ adultera uxoris cædem impunitam relinquunt, meritò sunt correctæ; quòd nimiam licentiam præberent, reum non auditum & non examinatâ causâ interficiendi in statu, in quo de salute æterna maximè periclitatur: quò modò perpetratam cædem à mortali culpa non excusari, cum *S. Thomæ in 4. dist. 37. q. 2. art. 1. Covarruvia de Sponsal. p. 2. cap. 5. §. 7. n. 15.* & aliis docent

docent Molina *Trañ. 3. de I. & I. disp. 7. n. 2. & disp. 99. n. 14.* Sanchez *cit. Lib. 7. disp. 16. n. 2.* & duo Barbosa Petr. *in l. Si ab hostibus 10. §. fin. ff. Solut. Matrim. n. 43.* August. *in can. Inter has cit. n. 1.*

45. Magis inter DD. controversum dubiumque est, an nuptiarum spe etiam privetur uxor interficiens maritum. Id enim non obscure cum S. Thoma *cit. q. 2. art. 2.* Turrecremata *in can. Interfectores cit. art. 2. n. 5.* & cum Sylvestro *V. Matrimonium 7. q. 6. d. 1.* disertè negat *cit.* Sanchez *n. 6.* ex ratione; quòd conjugii jus & spem viricidiò amitti, nullo Jure sit expressum; cum allegati textus omnes de cæde uxoris loquantur: neque eadem ratio sit cædis mariti, quæ uxoris; cum enim naturâ sua viri audaces, fœminæ timidæ sint, ideòque minus facilè & frequenter istæ, quam illi in conjugis sui mortem machinentur, constitutò in conjugis interfectorem nuptiali impedimentò uxoris, quàm viris, consulendi major ratio fuit.

46. Sed fundamentum hoc speciosum magis, quàm solidum est; cum non desiderentur textus Juris, qui conjugii spem adimant uxoris, insidiantibus vitæ maritorum: eamque adimendi ratio ipsas non minùs afficiat, quàm maritos; quantumvis enim hætenus allegati textus non meminerint fœminarum, idem tamen juris de istis esse, eruitur ex *can. Indignantur 32. q. 6.* & exprimitur *c. 1. de Divorciis*, ubi mulier propter insidias mariti vitæ structas spe conjugii perpetuò privatur: quantumvis machinatio non consecuta sit effectam. Ergò multò magis illius spe excidet, cum homicidium opere subsequitur: sicut, hòc subsecuto, eà excidit maritus; cum in correlativis dispositio de uno alterum comprehendat, quando eadem ratio est utriusque: ratio

autem maritum uxoricidam à conjugio omnino removendi, *can. Admonere cit.* reddatur; quia occidisti partem corporis tui legitimò matrimonio sociatam, filios orphanos fecisti: quæ cum æquè in fœmina viricida ac uxoricida viro procedat, illi etiam alterius conjugii spem à Jure præcisam, satis probabiliter defendunt Navarrus *Manual. cap. 22. n. 74.* Gutierrez *de Matrim. cap. 88. n. 4.* Canisius *in c. 1. cit. n. 2.* Pontius *Lib. 6. de Matrim. cap. 14. n. 2.* Palao *Trañ. 28. disp. 4. p. & §. 2. n. 7.* & Gonzalez *in c. 1. cit. n. 3. & 14.*

47. Quartum hujusmodi impedimentum est Presbytericidium, sive interfectio Sacerdotis *c. 2. de Pœnit. & Remiss.* cujus textus est, *Qui Presbyterum occiderit &c. convictus usque ad ultimum vita sua tempus militia cingulo careat & absque spe conjugii maneat.* Unde crimen hoc, ut nuptiale impedimentum inducat, in judicio externo legitime probari oportere, neque ejus aliàs occulti, in interno sive Pœnitentiæ foro confessionem sufficere, cum Panormit. *in c. cit. n. 1.* Ant. de Butrio *ibid. n. 6.* & aliis rectè advertit *cit.* Sanchez *disp. 6. n. 9.* quòd relato textu à conjugio arceatur, qui de ejusmodi cæde est convictus: quòd accidit in externo & contentioso, non in interno sive Conscientiæ foro; cum enim in isto desideretur rei accusator, & testes, aliæque probationes non admittantur: sed crimina judici solius pœnitentis ultronea confessione innotescant, convictus in eo dici nemo potest.

48. Quintum, matrimonium initum cum sanctimoniali, *can. Iis ergo, 27. q. 1.* quantumvis enim id propter solenne votum continentiæ irritum, nullumque sit, *c. Meminimus 3. Qui Clericis & vovent. & c. Unico. de Voto in 6.* vir tamen, qui sacratam Deo fœminam ad injuriam

M m 2

Christi

Christi sibi copulare præsumperit, in tantæ temeritatis pœnam matrimonium cum aliâ inire perpetuò prohibetur, *Glossa in can. cit. V. Nunquam* & Sanchez *l. cit. n. 11.*

49. Sextum est propriæ sobolis ex sacro fonte susceptio, *can. De eo, 30. q. 1.* Non in necessitate; cum istâ urgente prolem suam baptizans & ex Baptismo levans debiti exigendi jus retineat, *can. Ad limina 7. q. cit.* & alterius conjugii mortua sua uxore ineundi spem non amittat. Sed ex indulgentia, ut habet *can. De eo cit.* hoc est, malitiosè, *arg. c. Si vir 2. V. Ex malitia, de Cognat. Spirit.* & animò insidiandi matrimonio, sive alterum conjugem privandi debito conjugali; ut spe conjugii, cujus impedimentum ponere voluit, perpetuò privetur, *cit. Sanchez n. 8. & Palao §. 2. n. 19.*

50. Septimum, Pœnitentia solennis seu publica, quamdiu hæc agitur, *can. fin. 33. q. 2.* quod nuptiæ secum ferant læritiam, non convenientem illi, qui Pœnitentiæ & luctui est adstrictus. Peractâ autem pœnitentiâ matrimonium permissum est *can. Si quis cum duabus 33. q. 2. Sanchez ibid. n. 10. & Palao §. cit. n. 12.*

51. Octavum denique est interfectio proprii filii *c. 1. de His, qui fil. occid.* ubi mulieri, prolis suæ interfectrici, conjugii ineundi licentia tribuenda asseritur, si repugnante carnis fragilitate, incontinentiæ timor subsit, minimè obscurò argumentò, ejus timore & periculo cessante, conjugium denegandum, ut cum *cit. Sanchez n. 12. notat Barbosa in c. cit. n. 6.*

Non levis momenti & non infrequentis in praxi usûs dubium est, an relictis criminibus annexa à Jure impedimenta matrimonii contrahendis hodie quòque obstant. In quo Doctores variè sentiunt ac loquuntur. Imò aliqui, an

ea consuetudine, quâ ab aliis sublata asseruntur, tolli possint, ambigere videntur.

Mihi tamen plurimorum instar est hac de re testimonium Navarri, vici, à Concientiæ quæstionum, ad ipsum ex universi Orbis partibus delatarum, resolutionibus celeberrimi: qui cum seculum vivendo & ferè totum literariis laboribus absumpsisset, & in diversis provinciis, Romæque diu moratus fuisset, tamen *Manual. cap. 22. n. 75.* de Incestu & *n. 85.* de aliis hujusmodi ex crimine ortis conjugiorum obstaculis loquens, disertè ait, se, in tanta ætate, in his dispensationem peti, nec vidisse, nec audivisse. Unde Turrecremata *in can. Nullus 31. q. 1. n. 3.* Gaëtæ *in can. Ad limina cit. §. 4. n. 408.* Henriquez *Lib. 12. cap. 2. n. 1. lit. R. Lessii Lib. 4. de l. & l. cap. 3. n. 68. cit.* Sanchez *disp. 17. n. 8. Pontii Lib. 6. cap. 14. n. 4.* & aliorum VV. communis & RR. DD. satis concors sententia est, ea universali consuetudine esse sublata. Tolli autem potuisse extra controversiam est; cum omnia Jure positivo Ecclesiastico: imò pleraque non à sumis Pontificibus, sed à Provincialibus Conciliis, legem Ecclesiæ universalem condendi potestatem non habentibus, sint introducta, ut probè advertit Sotus *in 4. disp. 37. q. unic. art. 2.* Juri autem positivo Ecclesiastico derogandi, eoque introducta impedimenta abrogandi vim legitimè præscriptæ consuetudini competere *c. fin. de Consuetud. lit. decisum,* & cum Innocentio *in c. 1. de Cognat. Spirit. in fine,* Turrecremata *in can. Placuit 13. disp. 32. art. 2.* & aliis tradant Suarez *Lib. 7. de LL. cap. 19. n. 14.* & Rochus de Curte *in c. fin. cit. f. 2. n. 34. & 35. juxta dicta ad Tit. 1. n. 187.*



## ARTICULUS IV.

## De Potestate dispensandi in Impedimentis Conjugiorum.

## SUMMARIUM.

54. Hanc in impedimentibus Papa:
55. In quibusdam etiam Episcopi concedunt.
56. Dirimentia alia sunt Naturalis aut Divini, alia Humani Juris.
57. Istò introducta Papa dispensandò,
58. Non etiam Episcopi relaxant:
59. Nisi muniti sint privilegiò,
60. Vel dispensationem irritam fuisse post nuptias appareat.
61. Hoc tamen casu verius Episcopus non dispensat.
62. In dubio de impedimento, hoc non subesse, declarat:
63. Non id vera dispensatione tollit.
64. Casu urgentis extraordinaria necessitatis,
65. Post matrimonium jam contractum,
66. Et aliquando ante illud initum,
67. Aliò, qui possit, deficiente,
68. In impedimento occulto & in foro interno Episcopus dispensare valet;
69. Non etiam ad casus Episcopales privilegiatus,
70. Aut Vicarius Episcopi generalis
71. Sine mandato speciali.
72. Eadem potestas ab Episcopo potest delegari.
73. Juris privilegiò non competit Religiosis.

54. **I**N impedimentis, conjugiorum duntaxat honestati obstantibus omnibus, dispensandi potestatem summo Pontifici competere, convenit inter

DD. & de Interdicto Die, seu Tempore feriato, Crimine, & ex Catechismo orta spiritali cognatione indubitatum est ex eo; quòd introducta sint Jure Ecclesiastico: eisque derogari valeat, & potiora abrogata sint per viam consuetudinis, supremæ potestati Ecclesiasticæ non prævalentis: imò Juri Ecclesiastico derogandi vim, quam habet, ab ista obtinentis. De Sponsalibus autem & Voto inde constat; quòd Papa ex justa causa, in iplo matrimonio Rato dispensare, ut *Tit. 19. n. 38.* ostenditur: & votò erga Deum contractum debitum, ipsius nomine, & accepta ab eo potestate, remittere valeat, ut cum *D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 10.* & *Suarez Lib. 6. de Voto cap. 9. n. 15.* cæterorum TT. & fidelium communis est sensus & Usus.

In iisdem dispensandi potestatem Episcopis, aliisque Prælati, jurisdictionem quasi Episcopalem obtinentibus, est Jus (excepto, quod ex incestu oritur, *c. Veniens 2. de Eo, qui cogn. Consang.*) nuptià indulgisse: concessisse tamen, aut *c. cit.* concessam, ad cætera impedimenta solum impedientia (Continentiæ & Religionis votis atque Sponsalibus exceptis) extendisse visa est, omnium ferè Ecclesiarum usu approbata consuetudo: cujus omni exceptione majores testes sunt, *Sylvester V. Matrimonium 7. q. 6. d. 2.* *Navarrus Manual. cap. 22. n. 85.* *Sanchez Lib. 7. de Matrim. disp. 17. n. 15.* *Pontius Lib. 8. de Matrim. cap. 13. n. 12.* & *Perez de Matr. disp. 44. f. 4. n. 9.*

In dirimentibus opus est distinctione inter ipsa impedimenta & Jura, quibus ea sunt introducta; cum eorum quædam Divinò aut Naturali, ut Ligamen, Consanguinitas in primo gradu lineæ Rectæ, Ætas carens usu rationis, Impotentia perpetua, Error circa substantiam sive individuum personæ: alia Ecclesiastico Jure sint

- re sint introducta : ut *Ætas*, usu quidem rationis prædita, sed in fœmina duodecim, in mare quattuordecim annis minor, *Conditio Servilis*, *Cultûs disparitas*, *Cognatio Spiritualis*, *Legalis & Naturalis* in quocunque *Transverſæ* & in secundo, atque ulterioribus gradibus lineæ *Rectæ*, *Ordo Sacer*, *Proſeſſio Religioſa*, *Adulterii & Homicidii Crimina*, *Vis Metûsve*,
57. *Raptus & Clauſtrinitas*. In quorum poſterioribus : non etiam in prioribus diſpenſari à Papa poſſe, ſatis receptum & ratio de iſtis eſt; quòd, cum ligandi & ſolvendi poſteſtas conjuncta ſit, *Matth. cap. 16. v. 19.* legem eaque introductum quocunque impedimentum tollere & multò magis diſpenſandò relaxare, qui tulit, ejuſque in iurisdictione ſucceſſor, poſſit, *arg. c. Non debet 8. pr. de Conſang. & Affinit. & c. Alma 24. pr. de Sent. excom. in 6.* De prioribus autem; quia inferior poſteſtas tollere & relaxare legem ſuperioris, niſi acceptà ab eo poſteſtate, non poſteſt, *can. Inferior 4. diſt. 21. c. Cum inferior 16. de Majorit. & Clement. Ne Romani 2. de Elect.* in relatis autem *Divini & Naturalis Juris* impedimentis (exceptò vinculo matrimonii Rati, per ea, quæ *Tit. 19. à n. 38.* tradentur) diſpenſandi poſteſtatem Papæ conſeſſam, neque ex ſancionibus Canoniciſ, neque ex traditione vel uſu Eccleſiæ conſtat. Ita in *6. Literas 13. de Reſtit. ſpolar.* *Hoſtienſ. n. 3.* *Panormit. n. 12.* *Imola n. 6.* *Navarrus Manual. cap. 2. n. 84.* *Covarruv. p. 1. de Sponſal. cap. 6. §. 10. n. 10.* & *Sanchez Lib. 8. diſp. 6. n. 10.* Hæc ſatis certa,
58. Dubium autem primò eſt, an in impedimentis, conjugium Jure ſolùm Eccleſiaſtico dirimentibus, diſpenſare valeant Epifcopi: cui anſam præbet praxiſ, quâ pro diſpenſatione ad ipſos recurri, & hæc concedi aliquando ſolet. Eâ tamen non obſtante, ipſiſ aliſque Prælatiſ Eccleſiaſia-

ſticis, iurisdictionem quaſi Epifcopalem in certi territorii populum obtinentibus, ac proinde etiam, ſede vacante, Capitulo in illiſ diſpenſandi poſteſtatem Jure communi non competere, communis certæque ſententia DD. & ratio clara eſt; quia omnia à ſummis Pontificibus vel Conciliis Generalibus, Romano Pontifici tanquam capiti ſuo unitiſ, iſtiſque autoritate conſirmatiſ, prodita, aut univerſali conſuetudine Eccleſiæ ſunt introducta; & propterea à poſteſtate inferiore nequeunt relaxari, *can. Inferior & c. Cum inferior cit.* Eadem fere ratio eſt ſediſ Apoſtolicæ etiâ à Latere legatorum; cum ad matrimonium diſpenſandi poſteſtatem in provinciſ ſuiſ amplioſorem Jure communi non habeant, quàm quilibet Epifcopus in tua diœceſi, ſecundum *Gloſſam in c. Quia circa 6. V. A Sede, de Conſang. Panormit. in c. Quod tranſlationem 4. de Offic. Legati n. 9. cit.* *Covarr. cap. 6. §. 10. n. 1.* & *Sanchez diſp. 6. n. 15.*

Quantumvis autem communi hæc ita ſint, ſpeciali tamen Jure in aliquibus ejusmodi impedimentis & certis caſibus diſpenſandi facultatem Legati Apoſtoliciperique, & aliquando Epifcopi habent; ſic enim Commiſſariuſ Cruciatæ ex delegatione facultatem habet pro Foro Conſcientiæ diſpenſandi in impedimento *Aſſinitatiſ* ortæ ex copula fornicariæ, quando ex parte uniuſ, qui cum ea ſecundum formam à Tridentino *Seſſ. 24. cap. 1. de Ref. Matr.* præſcriptam, hoc eſt, coram Parocho & duobuſ vel tribuſ teſtibuſ præviſque denuntiationibuſ contraxerunt, adfuit bona fideſ, teſte *cit.* *Sanchez n. 23.* & *Pontio Lib. 8. cap. 17. n. 8.* Sic Legati ſediſ Apoſtolicæ in Hiſpania diſpenſant in impedimento publicæ *Honeſtatiſ*, teſtibuſ *Garcia p. 11. de Benef. cap. 5. n. 367.* & *cit.* *Pontion. 10.* in quo & *Conſanguinitatiſ*, atque *Aſſinitatiſ* in quarto,

quarto, uti etiam in tertio & quarto gradu inæquali, in spiritualis cognationis inter levantem & levatum, & Criminis, neutro tamen machinante, commissi, impedimentis dispensandi facultatem ejusdem summæ sedis Legatis Lucernensibus concedi consuevisse, ostendit Gobat *Experient. Tract. 9. n. 587.* sic ex privilegio Apostolico Episcopus Ratisbonensis in tertio & quarto gradu Consanguinitatis cum pauperibus solet dispensare, teste eodem n. 597. Sic demum Episcopus Leodiensis, ejusque in spiritualibus Vicarius generalis in tertio & quarto gradu Affinitatis dispensationem concedunt, quando ob paupertatem Româ nequit obtineri, eamque gravis necessitas exigit, teste Lessio in *Auditorio V. Matrimonium, casu 9. apud cit. Gobat n. 596.*

60. Dubium secundò est, an in impedimento dirimente dispensare Episcopus valeat, quando, super illo impetratam dispensationem Apostolicam ob vel subreptitiam fuisse, deprehenditur. Cui occasione præbuit difficilis textus *c. Quia circa 6. de Consang. & Affinit.* ubi Innocentius III. Absoloni Londinensium Archiepiscopi (Gonzalez in *c. Quia circa 6. de Bigamis n. 2.*) de ejusmodi dispensationis vigore & putatitiis conjugibus consulenti scribens, *Dissimulare*, inquit, poteris, ut remaneant in copula sic contracta; cum ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminere. Quæ rescripti Apostolici verba Interpp. ac DD. mirè torserunt, & ad alias aliasque & quòd ante adinventis non acquiescerent, semper novas expositiones excogitandas invitârunt: ex quibus duæ, una VV. altera RR. frequentiori calculò sunt receptæ.

61. Illi seu veteres præsertim Interpp. *c. cit.* à Papa dissimulationem suggerente tacite dispensatum, volunt in impedimen-

to, quò copulati adhuc laborabant; quantumvis enim Principis, factum non punientis, dissimulatio dispensationem non inducat, *c. Cum jam dudum 18. de Præbend. & dignit.* dispensare tamen intelligitur, quando super facto consultus *Toleram* aut *Toleretur*, responderet: qui *c. cit.* intellectus est Glossæ *fin. in c. cit.* Hostiens. *V. Dissimulare*, Joan. Andr. *n. 3.* Panormit. *n. 8.* Alex. de Nevo *n. 12.* alicrùmque Interpp. ac Sylvestri *V. Lex q. 7. ad finem.* Aliis tamen DD. & meritò displicet, partim; quia Papa tanum ait, conjugum putativorum in matrimonio, bonâ fide inito, perseverantiam dissimulari posse solum casu, quò sine scandalo nequeunt separari, ex quo Apostolica dispensatio perperam inferitur; cum, si Papa rescribendò dispensasset, dissimulari id potuisset, licet separatio cum scandalo conjuncta non foret: partim verò; quia, licet dissimulatio dispensationis habuisset vim, matrimonium tamen ante invalidè contractum non convaluisset sine novo consensu; quòd consensus antè præstitus fuerit nullus, & solâ Papæ dissimulantis tolerantia non convaluerit, neque potuerit matrimonii invalidi usum cohonestare, ut *an. 173.* dicitur.

Isti seu RR. *c. cit.* dissimulationem à Papa permissam, aiunt; quòd personæ, vi Apostolicæ dispensationis invalidæ copulatæ, bona fide existimârunt, se legitime copulatas, & ex veritatis ac nullitatis manifestatione grave & publicum scandalum secuturum verisimiliter timeretur; ut ad eòdè Papa, conjuges putativos in invincibili ignorantia relinqui consultius esse, duxerit, quàm illorum separatione publico fidelium scandalo occasione præberi. Atque ita præter Navarrum in *can. Si quis autem 4. dist. 7. de Penit. à n. 67.* Covarruviam *p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 10. n. 15.* & Gutierrez de *Matrim. cap. 48. n. 1. c. cit.* relatum Apostolicum respon-

responsum exaudiunt Adrián. *Quodlib. 5. art. 2. lit. E. Corduba Summa q. 189 p. 4. Aragon. 2. 2. q. 33. art. 6. concl. 3. cit.* Sanchez *disp. 38. n. 12. ad finem* Perez *f. 7. n. 15. & alii TT. quorum expositionem aliis præferunt Barbosa in c. cit. n. 5. & Gonzalez n. 2. cum; quod magis congruat literæ, ut advertit Pirrhing ad Rubr. de Consang. ac Affinit. n. 58. tum verò; quod scandali vitandi causâ, quæ aliàs non conceduntur, permitti, can. 1. *dist. 95. & c. Deus 11. de Vita & honest. & omitti* valeant, quæ aliàs fieri, oporteret, can. 1. *dist. 51. & c. Cum teneamur 6. de Præbend. & dignit. eaque in re vel maxime multitudinis ratio soleat haberi, can. Ut constitueretur 25. in fine, dist. 50. c. Sanè 2. de Temp. Ordinac. & c. Quod delictum 3. de Consang. & Affinit.**

62. Dubium tertio est, an Episcopus dispensare valeat in dubio, an opus sit aliqua dispensatione; eò enim casu, matrimonium in iuris ulla dispensatione opus non esse, ab Episcopo declarari, vel ad cautelam dispensari posse, Sæ in *Summa, V. Dispensatio n. 1. indiscriminatim* ait. Mihi hac in re arridet distinctio, quæ dubitationem hanc resolvunt *citt. Sanchez Lib. 8. disp. 6. n. 17. eumque secutus Perez f. 7. n. 2. vel enim, inquit hi DD. res omnino dubia est, an subsit aliquod impedimentum, vel ita dubia non est?*

Si prius, ad excludendum omne scandalum declarare Episcopus quidem potest, dispensatione opus non esse, vel etiam dispensare ad cautelam; quia in dubio præsumptio est pro libertate matrimonii contrahendi: donec, eam impedimento intercedente ademptam, certò aut

63. verisimiliter constet. Quæ tamen vera dispensatio non est; ut, si matrimonio jam initò impedimentum nuptiale dirimens intercessisse, quomodocunque appareret, pro dispensatione ad sedem Apostolicam

recurrendum necessariò esset. Ratio est, quia in ejusmodi dubio impedimentum revera intercedens per viam dispensationis tolli ab Episcopo posse, ullo jure expressum non reperitur.

Si posterius, & præsumptio pro impedimento urget, v.g. si in coitu cum femina, an semen emissum aut vase receptum, itaque cum femina forore contracta sit affinitas, dubium sit, non proficua Episcopalis sed Apostolica dispensatio necessaria est; quòd in dubio prævaleat præsumptio desumpta ex iis, quæ communiter contingunt: in coitu autem cum femina semen effundi & vase recipi communiter contingat adeò; ut probatò coitu, semen effusum aut vase receptum neganti in externo foro fides non adhibeatur, teste *citt. Perez n. 2. in fine.*

Dubium quartò est, an Episcopus dispensare valeat in casu extraordinario, quò post matrimonium bona fide contractum subesse deprehenditur impedimentum dirimens occultum: & neque conjuges sine scandalo separari, neque Papa ob locorum distantiam vel personarum paupertatem adiri, neque dispensatio propter periculum incontinentiæ differri potest. Ratio dubitandi est; quia Episcopi eisque similes prælati dispensare nequeunt in lege Pontificia vel decreto Concilii generalis, ut dictum *n. 58. Quæ ratione ducti Sotus Lib. 1. de J. & J. q. 7. art. 3. & in 4. dist. 37. q. unic. art. 2. Vracrux p. 3. Speculi, art. 18. & Medina 1. 2. q. 97. art. 4. proposito & quocunque necessitatis casu in ullo connubiali Ecclesiastici Juris impedimento dispensandi facultatè Episcopo competere, negant. Ex iis tamen Sotus huic suæ Opinioni non obscurè adversatur in 4. dist. 41. q. unic. art. 3. in fine expressis verbis, Si contra Justitiam publica Honestatis aliqui contrahant & expeditissimus non sit ad Papam accessus,*

accessus, nullum esset periculum, quamvis Episcopus dispensaret.

65. Quare melius cum Sylvestro V. Dispensatio, q. 9. n. 15. Navarro Manual, cap. 22. n. 85. & Garcia p. 11. de Benef. cap. 5. n. 343. publicâ matrimonii notitiâ & ignorantia impedimenti cum publici scandali periculo & ad sedem Apostolicam recurrendi maxima difficultate concurrentibus, dispensandi facultatem Episcopis, eisque similibus Prælati adstruunt Henriquez Lib. 12. cap. 3. n. 2. Guttierrez de Matrim. cap. 49. an. 7. cit. Sanchez Lib. 2. disp. 40. n. 3. Pontius cap. 13. n. 2. & Perez f. 6. n. 3. & RR. alii, quibus hanc sententiam gemina ratio persuasit. Una est; quod, licet Episcopus etque similes Prælati in lege Pontificia & Conciliari decreto vel canone dispensare generaliter nequeant, id tamen valeant casu urgentis magnæ necessitatis, quando ad sedem Apostolicam non est recursum, ex mente Panor. in c. At si clerici 4. §. De adulteriis n. 9. Felini in c. 1. de Constitut. fell. 7. Baldi in l. Omnes 9. ff. de J. & J. n. 8. Lambertini Lib. 2. de Jure Patr. p. 1. q. 7. art. 9. n. 2. Cucchi Lib. 2. Infit. major. tit. 6. n. 334. Guttierrez Lib. 1. Q. Canon. cap. 23 n. 8. necessitas autem, si quæ esse potest, in proposito casu utique maximè urgens sit, imprimis propter periculum scandali, secuturi ex conjugum separatione, & hanc securam famæ jacturam: deinde propter periculum peccandi, si non separentur: & demum propter difficultatem manifestandi impedimentum, si istius alter tantum conscius est, & incommoda ex ejus manifestatione timenda. Altera est; quod, dispensandi facultatem hujusmodi casibus Episcopis competere, animarum bono maximè expediat & fere necessarium sit ad evitanda gravia peccata; proindeque verisimile non sit, eam à Papa denegari.

Confirmatur; quia canonum legumque optima interpres est Consuetudo, c. Cum dilectus 8. de Consuetud. quæ hanc potestatem Episcopis tribuit; cum eâ Episcopi soleant uti, hisque à DD. passim tribuatur, Papâ sciente & non contradicente vel improbante.

Dubium quintò est, an hujusmodi 66. necessitatis urgentis casu in impedimento occulto Episcopus dispensare etiam valeat ante matrimonium contractum; quod Salas Disp. 20. de LL. f. 3. & Hurtadus Disp. 26. de Matrim. n. 7. affirmant cum cit. Sanchez n. 7. & Pontio n. 6. quorum iste hujusmodi casum esse, ait, si quis morti proximus ad legitimandas proles cum earum matre contrahere vellet, & id propter intercedens impedimentum dirimens occultum sine dispensatione non posset: ille vero eum casum statuit, quò, ante contractum nuptialem & omnibus ad hunc paratis, sponсорum alter in confessione Sacramentali deregit occultum & ex crimine proveniens impedimentum dirimens, cuius detectio notabilem infamiam afferret; & neque à nuptiis abstinere, neque eâ, donec dispensatio obtineatur Româ, differri possunt sine verisimili suspitione occulti criminis detecti in confessione. Tali autem vel simili aliquò casu urgente, in impedimento dispensandi facultatem Episcopo competere, cum cit. DD. Perez cit. f. 6. n. 11. utrâque ratione antè allatâ probat, & confirmat paritate voti continentia simplicis, conjugium impediens; quod, licet Apostolicæ dispensationi reservatum sit, Extravag. Esf. Dominici §. inter com. de Penit. Gremiff. necessitatis tamen urgentis & ex magno incontinentia periculo & Papam adeundi difficultate provenientis casu per viam dispensationis relaxari ab Episcopo posse, Angelus V. Matrimonium 3. imped. §. n. 3. Sylvester cit. n. 15. Navarrus Manual. cap. 12. n. 78.

Na

12. n. 78.

12. n. 76. Palacios in 4. dist. 38. disp. 3. Henriquez Lib. 6. cap. 14. n. 7. & alii docent apud cit. Sanchez n. 7. Ergo urgentissimæ necessitatis casu dispensare Episcopus etiam poterit in aliis impedimentis; cum ista sedi Apostolicæ reservata non magis sint, quàm votum illud.

Quantumvis autem hujusmodi maximæ necessitatis casu urgente dispensandi facultatem cit. Sanchez n. 6. Pontius cap. 13. n. 3. Perez n. 5. & alii eò etiam casu adstruant, quò duo impedimenta occulta concurrunt, eam tamen meritò negant

67. Primò iis casibus, quibus dispensationis indigi facile recurrere possunt ad sedis Apostolicæ legatum, aut etiam ad alium, in similibus casibus dispensandi præditi potestatis; quòd talibus casibus necessitas Episcopi dispensationem non exposcat, istiusque respectu illa cesset, Navarrus cit. n. 85. Cucchus cit. cit. n. 310. Vega Lib. 6. Summa, casu 143. in fine, & cit. Sanchez n. 8.

68. Secundò, eam potestatem, Episcopo solum competere, aiunt, in impedimentis occultis, hoc est, talibus, quæ publicè nota non sunt, neque periculum est ea in foro externo detegenda; quòd orta sint ex crimine clam & in occulto commisso. Ratio est; quia, si impedimentum occultum non sit, conjugum separatio aut nuptiarum, donec dispensatio Apostolica impetretur, dilatio ullum scandalum non affert, cit. Henriquez Lib. 12. cap. 3. n. 1. & 2. Sanchez n. 11. & Perez n. 6.

Tertiò, in iisdem casibus etiam occultis dispensandi potestatem Episcopo stabilitam solum spectare, volunt, forum conscientie internum eò ferè modò, quò in irregularitatibus & suspensionibus, ex delicto occulto & ad forum contentiosum non deducto ortis, dispensandi fa-

cultas ei competit ex decreto S. Synodi Trident. Sess. 24. cap. 6. de Reformat. cit. Henriquez n. 3. & Sanchez n. 10.

Quartò monent, in prædictis casibus etiam pro foro interno dispensandi facultatem non competere habenti privilegium dispensandi in casibus Episcopalis etiam matrimonialibus; quia casus, in quibus Episcopus præcisè ratione urgentis necessitatis dispensat, non sunt propriè Episcopales, sed Apostolici, & Episcopo præcisè ex quadam juris interpretatione & casualiter permitti censentur, Henriquez Lib. 6. cap. 14. n. 7. lit. P. & cit. Sanchez n. 9. Unde

Dubium sextum oritur, an ejusmodi urgentis necessitatis casu in impedimentis occultis dispensare queat Vicarius Episcopi generalis. Ratio dubitandi est; quòd ex mandato seu commissione generali illi competat pertractatio causarum matrimonialium, per tradita Lib. 1. tit. 28. n. 45.

Verùm hoc de istiusmodi causarum judiciali pertractatione accipiendum est juxta dicta Tir. cit. n. 36. ut adeò, eò nichil obstante, Vicario generali in extraordinariis illis casibus dispensandi potestatem sine speciali mandato meritò negent Glosa in can. Qua de causa 9. v. Quid. quid 2. q. 5. Felinus in §. De adulterio cit. n. 21. Cucchus Lib. 2. Instit. major. tit. 8. n. 111. Gutierrez Lib. 1. Q. Canon. cap. 19. n. 15. & Sbrozzius Lib. 1. de Vicar. Episc. q. 35. n. 3. quibuscum sentiunt cit. Henriquez cap. 3. n. 2. Sanchez n. 12. & Perez f. 7. n. 2. ducti paritate cum dispensatione in irregularitatibus & suspensionibus occultis, sine speciali mandato Vicario non competente, ex decreto Synodali cap. 6. cit. ibi, Per seipos aut Vicarium ad id specialiter deputandum. Rationem reddunt; quòd dispensatio acqui-  
paretur in integrum restitutioni, non  
compre-

comprehensa commissione generali, sed speciale Episcopi mandatum exoptenti, *l. illud 25. §. 1. ff. de minoribus*, vel generale, quò committantur omnes in foro Conscientie dispensandi causæ, Episcopo quomodocunque competentes: cujusmodi mandatò in quarundam provinciarum amplioribus diocesis Vicarii generales instrui solent, & ipsa quoque in integrum restitutio potest committi, ut cum Panormit. *in c. Covam 8. de In integr. restit. n. 5.* Roland. à Valle *Vol. 2. consil. 26. totò* & Covarruvia *Lib. 1. var. cap. 6. n. 2. & 3.* observat Bruneman. *in l. illud cit. n. 2.*

72. Dubium septimò est, an in prædictis casibus occultis dispensandi potestas ab Episcopo valeat delegari; id enim cum Felino *in c. Quod sedem 10. de Offic. Ordin. num. 2.* & Baldo *in l. Si cum inter 2. C. Quando provoc. non est necess. n. 6.* multi negant apud Gratianum *Regul. 443. n. 13.* propter textus *c. fin. de Offic. deleg. & Concilii Trident. cap. 6. cit.* quorum locorum prioris *§. fin. Nulli, cui commissum fuerit excommunicare vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, liceat hoc aliis demandare*; posterioris Synodali decretò Episcopis in casibus occultis facultas conceditur dispensandi *per seipos aut Vicarium ad id specialiter deputandum*, non obscuro argumentò, illam facultatem soli Vicario, non etiam aliis posse delegari; quòd ad dispensandum in casibus occultis à S. Synodo industria personæ ipsius Episcopi vel ejus Vicarii electa videatur.

Verius tamen, eam dispensandi potestatem delegandò aliis quoque committi posse, cum Glossa *in c. fin. de Offic. Ordin. V. Casibus*, Joan. Andr. *ibid. n. 3.* Baldo *n. unico* & Panormit. *n. 3.* sustinent Sylvester *V. Delegatus, q. 8. d. 1.* Navarrus *Manual. cap. 27. n. 45.* Covarruvias

*Lib. 3. var. cap. 20. n. 6. En. 10. pr. cit.* Henriquez *cap. 3. n. 2.* & Sanchez *n. 14.* eà permoti ratione; quòd jurisdictio, Principis concessione non tam personæ quàm dignitati & officio perpetuò competens, ordinariæ instar valeat delegari; cum hoc ipsò; quòd non solum presentibus & cognitis, sed futuris quoque & incognitis Prælati concedatur, ad ejus exercitium specialiter electa non censetur industria personæ.

Neque ita firmatæ delegandi facultati adversatur contra eam allegati *c. fin. cit.* textus; quia ejus *§. fin.* dispositio procedit, quando personæ nudum ministerium committitur; id enim aperte innuunt subjecta verba; *Quia non sibi jurisdictio, sed certum ministerium committitur*: non etiam, quando jurisdictio, annexa dignitati & officio, cum isto ad successores perpetuò transitura conceditur, Glossa *fin. in c. fin. cit. de Offic. Ordin.* Sylvester *V. Absolutio 4. q. 2. n. 6.* Navarrus *Consil. 15. de Sent. excom. in fine.*

Magis primò intuitu urgent: Resolutionem tamen etiam non convellunt relata decreti Synodalis verba; quia ea ita exaudienda sunt; ut in casibus occultis dispensandi potestatem Vicario non vi commissionis ipsi Vicariatus, sed vi mandati specialis tantum competere, intelligatur; atque idcirco Episcopus eiusmodi dispensationum causas neque Vicario instar aliarum causarum, speciale mandatum exoptentium, omnes simul, neque earum causas particulares aliis committere prohibeatur, ut præter *cit.* Sanchez *n. 17.* & Perez *n. 3. in fine* plures alii DD. observant apud Barbosam *in cap. 6. cit. n. 45.*

Dubium octavò est, an eodem urgentis gravissimæ necessitatis casu in impedimento occulto dispensare valeant Religiosi Mendicantes. Ratio dubitandi est; quòd *Possint dicti Mendicantium*  
N a 2 Confessa-

Confessarii, si sint viri docti & juxta formam Tridentini approbati ex commissione Provincialis dispensare in foro Conscientie ad petendum debitum cum his, qui consanguineam sui conjugis post matrimonium carnaliter cognoverint. Quod privilegium concessum aliis Religiosis, quibuscumque Societas JESU in privilegiis communicat, refertur Compend. Privileg. Societ. V. Dispensatio §. 7. ubi in fine additur, facultatem hanc à P. N. Generali concedi Provincialibus & alijs Confessarijs, quibus ipsi per se vel per alios eam commiserint. Unde vitium nonnemini est, argui posse ad dispensationem in ipso matrimonio, contracto cum occulto impedimento affinitatis, ex copula fornicaria cum consanguinea ante matrimonium habita ortæ. Sed, ut cum Rodericio Tom. 3. Regular. q. 2. art. 2. cit. Henriquez cap. 5. n. 3. Pontius n. 11. & Perez n. 13. advertunt, malè & sine sufficiente fundamento; cum privilegia non admittant interpretationem latam, & argumento à concessio minore ad majus locus non sit, arg. Reg. Quæ à Jure 28. in 6. Glossa in c. Cum dilectus 8. V. Juri, de Consuetud. Sylvester V. Privilegium q. 3. & Suarez Lib. 8. de LL. cap. 27. n. 5. Quare, cum super occulto impedimento dispensationem urgens necessitas exposcit, & adiri nequit Papa, ejusque legatus alijsve dispensandi potestate præditus in provincia non est, dispensationis indigos ad Episcopum remittendos, aut dispensandi facultatem ab ipso petendam, salubriter monet Pontius cit. cap. 13. n. 11. in fine.

### ARTICULUS V.

#### De Dispensationis Matrimonialis Causis.

### SUMMARIUM.

74. Dispensationis bonestas,
75. Imò & valor justam causam exigat,
76. Saltem, si fiat à Pralato Papæ inferiori.
77. Tales sunt I. Regia vel Principalis dignitas impetrantis.
78. II. Nobilis familia in splendore conservatio.
79. III. Excellentia meritorum in Ecclesiam.
80. IV. Pacis procuratio & remissio scandalorum.
81. V. Magna litis compositio.
82. VI. Loci angustia.
83. VII. Incompetentia dotis,
84. Ad equale matrimonium obtinendum sufficientia.
85. VIII. Proles ex conjugio, bonâ fide inito, suscepta.
86. IX. Conservatio famæ mulieris corruptæ.
87. X. Maxima difficultas voti adimplendi.
88. XI. Defectus maturæ deliberationis in ejus emissionem.
89. XII. Certa & rationabiles causæ generatim allegatæ.
90. Facilius cum Magnatibus quam cum alijs dispensatur.
91. Majus impedimentum majorem excipit causam,
92. Quæ vera esse debet,
93. Non quidem Supplicationis Romanæ destinata.
94. Sed concessionis gratiæ.
95. Et executionis literarum tempore.
96. Non etiam tempore ipsius usus dispensationis.
97. Ex causa justa, solum existimata, facta dispensatio:
98. Non etiam cum impedimenti ignorantia initum conjugium subsistit. Ad honorem.



74 **A**D honestatem dispensationis in matrimoniorum impedimentis justam aliquam & rationabilem causam exigī, nemo est, qui inficias eat.

An etiam ad valorem, dubitandi ratio est; quod, nullā justā causā exigente aut suadente, facta legis relaxatio ad destructionem, non ad ædificationem tendere, & dissipatio potius, quàm dispensatio esse videatur. Quod licet ita se habeat, non tamen idcirco indiscriminatim omnis dispensatio, quæ justā causā destituitur, etiam nulla est.

Quænam autem talis, aut valida sit, planum reddet satis concordibus DD. suffragiis approbata distinctio inter personas potissimum dispensantes; vel enim dispensatio ab eo, cujus Constitutione vel autoritate impedimentum, sicut primò est introductum, sic & solvi tollique potest, vel ab aliquo inferiore conceditur? si prius, eam Jure subsistere: si posterius, valore destitui *citr.* Covarruviz p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 7. n. 11. & §. 9. n. 8. Sanchez Lib. 8. de Matrim. disp. 17. n. 4. & 24. Pontii Lib. 8. de Matrim. cap. 14. n. 7. & §. 8. & aliorum ab his relatorum communis sententia, ratioque de priori aperta est; quod, cum ab ejus voluntate impedimenti obligatio & vis tota pendeat, sanctionem, quæ impedimentum constitutum est, respectu certarum personarum relaxare: imò omnino revocare valeat. De posteriori verò

76 v. g. de Episcopo aut alio simili Prælato; quod in sanctione sive Jure Ecclesiastico, quò impedimentum constitutum est, dispensare nequeat, nisi ex concessione superioris, cujus autoritate est constitutum, *arg. can. Inferior 4. dist. 21. & c. Cum inferior 16. de Majorie. & Obed. à Papa* autem ipsi non nisi rationabiliter, ac proinde justā causa exigente aut sua-

dente, dispensandi facultatem concessam, præsumi possit. Unde ab illo sine ulla, etiam bonā fide existimata, ejusmodi causa facta dispensatio propter defectum potestatis non subsistit.

Justas in Nuptiarum impedimentis dispensandi causas Navarrus *Manual. cap. 22. n. 87.* & Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 19. n. 8.* ad ternarium reducunt. Alii plures, & non eòdem omnes numero, statuunt. Corradus sex supra viginti, in Curis Apostolicis observatas, recenset *Prax. dispens. Apost. Lib. 7. cap. 2. & 3.* quas dodecade comprehendere juvabit.

Prima est prærogativa dignitatis Regiæ vel Principalis, cujus intuitu in Consanguinitatis & Affinitatis, ex legitimo conjugio ortæ, secundo gradu & aliæ rarioris exempli dispensationes concedi solent, approbante non obscure S. Synodo Tridentina *Sess. 24. cap. 2. in fine, de Res. Matrim.* Ratio est; quòd inita inter ejusmodi personas conjugia Regnorum ac Principatuum felicitatem, pacis & tranquillitatis publicæ conservationem spectent, *citr. Sanchez n. 5. & Gobat Experient. tract. 9. n. 604.*

78. Secunda, conservatio splendoris ac dignitatis familiæ illustri, aut nobilitate præcellenti, opumque in eadem cognatione: cujus intuitu in gradibus etiam propinquiorebus petita dispensationes aliquando conceduntur, cum; quòd illustres & nobiles valde anxii ac solliciti sint, ne ipsorum bona extra familiam alienentur, juxta illud, *Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostre ad extraneos, Jeremiæ cap. 5. v. 2. l. Pater 38. §. 7. ff. de Legat. 3.* Tiraquell. *de Nobilit. cap. 37. n. 23.* tum verò; quòd ejusmodi splendoris & opum in iis conservatio ad bonum publicum pertineat, *l. 1. §. 13. V. Publicè ff. de Inspec. ventre.*

79. Tertia, excellentia meritorum in  
N n ? Eccle-

Ecclesiam, laborum in bello contra infideles, hereticos, aliisque Reipublica hostes exantlatorum, *can. Tali 17. ibi, Nisi quem evidens meritorum prerogativa commendat, l. q. 7.* quia rationi & aequitati valde conveniens est; ut Ecclesia benignam ac liberalem se exhibeat erga eos, qui de ipsa bene meriti sunt aut mereri possunt, *cit. Sanchez n. 32. Perez de Matrim. disp. 45. f. 5. n. 11. & Corradus sit. cap. 2. n. 109.* Neque propriorum duntaxat meritorum ipsius Oratoris, sed paternorum quoque & conjunctorum intuitu: imò etiam ad extraneorum, de Ecclesia meritorum, preces pro Oratore interponentium, instantiam dispensationes aliquando concedi consueverunt.

30. Quarta, si conjugio inter personas Jure impeditas initò pax & concordia stabiliri, sopiri odia, discordiæ extinguere, removeri periculum animæ, scandala evitari, gravia damna & mala, quæ aliàs timenda forent, excludi valeant, *cit. Sanchez n. 8. Perez n. 6. & Corrad. à n. 62.* Ratio est; quia hæc publicè interfunt; ut propterea eorum intuitu, sicut à communis Juris Regulis receditur in aliis, *c. Cum ex injuncto 2. de Novi oper. nunt.* sic in conjugiorum obstaculis humanò Jure proditus dispensationis gratia meritò concedatur.

31. Quinta, si eòdem super bonorum successione, super dotalibus aliisque magni momenti rebus aut juribus motà litem componendâ tollendâque; aut quam Oratorum alter habet & ob inopiam vel rerum imperitiam prosequi non potest, alterius expensas subministrantis vel prosecutionem in se suscipientis auxiliò ad optatum exitum perducendam speretur, *Sanchez, Perez l. cit. & Corradus à n. 52.* ubi ex hac causa in gradibus remotioribus dispensationes concedi, ait. Ratio est partim; quòd, cum lites occasio odio-

rum, & discordiarum fomenta sine, sopiri & expediri publicè interfit, *c. Finem 5. de Dolo & l. Quidam 12. in fine, ff. de Reb. credit.* partim verò; quòd ad pietatem pertineat pro rerum suarum salutura certantibus & auxiliò destitutis omnibus modis subvenire.

Sexta, si ob loci aut etiam locorum angustiam vel cognationem foemina in loco valde propagatam non facile reperiat matrimonium æquale, nisi hoc cum persona sanguine vel affinitate conjuncta vel aliter impedita contrahatur; & propterea foemina manere innupta, vel ipsa aut etiam vir cum persona, nobilitate vel opibus inferiore, vel Religione, morum honestate, ætate dispari, aut genio non conveniente inire conjugium, vel in alium locum se transferre, aut extraneam ducere cogatur, *cit. Sanchez n. 12. Perez n. 7. & Corrad. à n. 6.* Ratio est partim; quòd durum foeminae sit, propriæ originis locum deferere & transfigere vitam, patris matrisque & consanguineorum consortiò solatiòque destitutam: partim verò; quòd communi & privato ipsorum conjugum bono valde expediat, personas ad unum alterumve conjugium non coarctari & matrimonii iniri inter pares: & inter valde disparis inita multis incommodis sint subiecta, *Tiraquell. l. Connub. 5. à n. 1.*

Septima, si foemina ob defectum dotis competentis sponsum, aut vir ob tenuitatem patrimonii sponfam extraneam statùs sui conditioni convenientem habere nequeat: possit autem ex propinquis aut aliter impeditis, *cit. Sanchez n. 16. Perez n. 8. Palao Tract. 28. disp. 4. p. ult. §. 2. n. 2. & Corradus n. 12.* ubi notat, hanc ab aliquibus cum Paupertatis causa, sed perperam confundi; quòd ob istam: non autem ob incompetentiam dotis Oratores expensarum in dispensatione re-

tione requisitarum vel earum partis solutione liberentur. Ratio autem dispensationis ex hac causa in gradu saltem remotiori & aliis impedimentis facilioribus concedi solita est; quòd ad bonum publicum conferat; ut ob defectum dotis feminae inupta remanere non cogantur cum continentia, vel cum infaulti matrimonii periculo inaequali nubere.

84. Quantumvis autem ad dispensationem sufficiens causa sit. Primò, si feminae competens dos deficiat de presenti, licet hujus cum tempore acquirendae spes sit ex successione alicujus consanguinei intestati aut etiam testati, aut legato ab eo relinquendo, si hæc ejus spes consanguinei liberâ dispositione destitui possit, aut succedendi jus, quod habet, revocabile sit, Navarrus *Consil. 19. de Rescript. in fine, cit. Sanchez n. 24.* Secundò, si legitima filia à parentibus jure debita ad competentem dotem constituendam non sufficiat, aut illam ad competentem dotem augendò filia plus quam ceterorum liberorum præsertim masculorum singulis relinqui deberet, DD. *cit.* Tertio, si bona patrimonii jam acquisiti, aut ad cujus acquisitionem jus habet, implicata litibus, & periculum sit, ne causâ cadat, nisi viro quartò gradu conjuncto aut aliter impedito nubat, *cit. Sanchez n. 20.* Quartò, si parentum facultates ita tenues essent, ut dotem filiae competentem assignandò se bonis, ad congruam sustentationem necessariis, deberent spoliare, *cit. Sanchez n. 24. & Pontius Lib. 8. de Matrim. cap. 21. n. 23.*

Sufficiens tamen dispensandi causa desideratur. Imprimis, si sponsa quidem inops, sed ejus parentes essent opulenti; quòd hi filiam dotare teneantur, *l. fin. V. Neque enim, C. de Dot. promiss. cum dos succedat locò legitimæ, l. unic. §. 11. C. de Rei Uxor. alt. & alimentorum,*

Baldus Novell. *de Dote, p. 6. privileg. 16.* Deinde, si femina dotem ad sibi æquali nubendum sufficientem, & insufficientem habeat respectu consanguinei præstantioris, ipsam ducere volentis, *cit. Sanchez n. 17. Pontius n. 23.* Demum, si, quæ dispensationis impetratæ tempore dote carebat, antequam illa per Ordinarium expediretur, instituta hæres, aut magna quantitas legatum ei fuit relictum; cum enim tali casu causa cessarit, dispensatio corruet, *arg. c. Cum cessante 60. de Appellat. Nisi institutio vel legatum post matrimonium jam initum innotuisset, cit. Sanchez n. 27. & Pontius cap. 20. n. 2.*

Octava dispensationis causa est, si 85. ex matrimonio cum consanguineo, affine, aut aliunde impedito publicè bonæque fide inito suscepta sit proles: imò etiam, si ex tali conjugio proles suscepta non sit, *cit. Sanchez n. 33. & Perez n. 12.* talibus enim gradu non valde propinquò conjunctis dispensatio haud ægre concedi solet favore prolis; quòd, licet ea sit legitima, *c. Cum inter 2. & c. Ex tenore 14. Qui filii legit.* conservatio tamen conjugii inter parentes valde conferat ad ejus bonam educationem: &, licet proles suscepta non sit, ita copulatorum separatio sine gravibus incommodis & scandalo raro fiat, *c. Quia circa 6. in fine, de Consang. & affinit.* Secus esset, si matrimonium ab utroque malâ fide vel denuntiationibus sine justa causa omissis initum, & proles jam suscepta esset; quòd neque incestus parentum, neque incestuosa etiam multiplex proles gratiam Apostolicam mereatur; cum istius multiplicitas exaggeret crimen parentum, *c. Cum haberet 5. de eo, qui cognovit & istorum conjugio non legitimentur, c. Tanta 6. Qui fil. legit. & ibi DD.*

Nona, si ita consuli valeat famæ mulieris, 86.

lieris, quæ non quidem matrimonii ineundi aut super hoc dispensationis facilius impetrandæ spe, sed ex fragilitate, & velana libidinis vehementiâ impellente, jam imprægnata vel corrupta est; vel etiam si corrupta non sit, singularis tamen adeoque familiaris inter eam & virum conversatio intercessit, ut sponsalium vel commercii carnalis inter eos intercedentis publica, licet falsa, suspicio sit orta, eamque ob causam fœmina statui suo conveniens conjugium cum alio non consequatur; hanc enim etiam causam, ut Oratricis honori & animæ consulatur, à Papa hodie admitti, Curia praxis docet, testibus *citt.* Gobat *n.* 606. & Corrado *cap.* 3. *an.* 1.

37. Decima & in Continentiâ ac Religionis votis ad conjugium ineuandum dispensandi iusta, & notoriâ Curia Apostolica praxi approbata causa est vehementia passionum, & ex nimia carnis fragilitate proveniens maxima difficultas voti adimplendi, & probabile periculum frequentium transgressionum, *c.* *Veniens* 6. *Qui Cleric. & vovent.* quò locò Alexander III. ex hac causa in voto Continentiæ cum muliere dispensavit, Ratio est; quòd æquum omnino sit, ut votò erga Deum contracta obligatio, quando ea voventi iustò difficilior & animæ periculosa apparet, Dei humanas infirmitates miserantis nomine remittatur, aut in aliud pium & voventis viribus magis accommodatum opus commutetur. Ita cum Panormit. *in c. cit. n. 9.* Alex. de Nevo *ibid. n. 9.* Sylvester *V. Votum 2. q. 14.* Navarrus *Manual. cap. 12. n. 78. citt.* Sanchez *disp. 20. n. 18.* & Palao *§. 2. n. 3.*
38. Undecima, & in iisdem dispensandi iusta causa est, quòd votum leviter & imperitus editum, vi meruere etiam levi extortum, vovens ad id emittendum dolò

inductus sit: ut de voto leviter emisso ex *c. Venientis 2. de Voto* verbis, *Ipsum à voto, quòd facilitate perius, quàm ex arbitrio discretionis processit, absolvimus;* de extorto metu dolove obtento inde constat; quòd ita gesta exceptionis opè vel imploratò iudicis officio rescindantur & editi voti remissio cedat ad honorem Dei, obligationem, cui aliena iniquitas causam dedit, facillè remittentis, *citt.* Sanchez *n.* 15. & Palao *Trat. 15. disp. 2. p. 9. n. 9.* metum mortis, ex naufragio, infirmitate, aliâve simili causa impendentis, causam huiusmodi dispensationis iustam esse, negantes: nisi ejusmodi mali apprehensio maturam deliberationem & prudens consilium exclusisset, *arg. c. Venientia cit.*

Duodecima est; si Oratores nobilissimæ aut aliâs valde honestæ familiæ sint, dispensari cum iis in gradibus saltem remotioribus non rarò solet *Ex certis rationabilibus causis*, nullâ in specie expressâ. Quò modò concessâ, licet de stylo Curia dispensationes *Sine causa* vocentur, revera tamen semper Papam iusta aliqua causa movet ad earum concessionem. Unde sic ideo solum vocantur quòd certa causa non exprimitur ac propeletur: neque etiam inquirenda sit ab executore, sed sufficiat, verificari alia narrata, v.g. an, ut literis exprimitur, quòd de nobili vel honesta familia sint Oratores, *citt.* Sanchez *n.* 35. & Corrado *cap. 2. an. 111.*

Circa enumeratas & similes causas alias, quæ pro impetranda in nuptialibus impedimentis dispensatione allegantur & admitti solent, probè notanda sunt tria.

Primum & *n. 77.* ex Tridentino insinuatum est, ex iis dispensationes faciliùs Principibus ac Magnatibus, quàm aliis concedi: idque citra vitium acceptationis

ptionis personarum; quod eorum conjugis firmiter pax & tranquillitas publica stabilietur: & quod salus publica ab iis magis pendeat: & Ecclesiae expediat, eos habere faventes, *citt.* Sanchez n. 5. Perez n. 4. & Palao §. 2. n. 1.

91. Alterum, quod majus est conjugii impedimentum, eod majorem & urgentiorem dispensationis causam desiderari, ut in eo dispensetur; sic enim major, ut in consanguinitate quam in affinitate: ut in utriusque propinquo quam remoto gradu; majorque & urgentior causa existitur; ut in matrimonii rati quam sponsalium, in voti solennis quam simplicis vinculis; ut in spiritualis cognationis, quam legalis, in criminis, neutro machinante, quam utriusque vel alterius in necem conjugis machinatione interveniente commissi, impedimentis dispensetur. Ratio perspicua est; quia quod fortius ac strictius vinculum est, eod magis urget lex seu Canon ipsaque ratio prohibitionis, *citt.* Sanchez n. 7. & Palao n. 1.

92. Postremum, recensitas causas in impetrationis literis allegatas veras esse & coram executore verificari oportere aded; ut, si falsae sint, dispensatio obreptitia ipsaque jure invalida sit; quia sunt causae finales, hoc est, tales, quae Papam principaliter movent ad dispensationem concedendam; ut, si non subsistant, istius gratia corruat propter defectum consensus in concedente; cum in literis Apostolicis, licet non exprimat, semper subintelligatur clausula, *Si ita est, Si preces veritate nitantur*, c. *Ex parte 3.* & c. *Olim 25. de Rescriptis.* ut ad hanc Rubricam n. 35. est explicatum. Si in literis allegatae sint duae causae vel plures, multum interest, an non nisi simul, vel earum singulae seorsim sumptae sufficien-tes sint ad gratiam impetrandam; cum, si non nisi simul sumptae hanc vim habe-

ant, omnes esse veras necesse sit, ut dispensatio obreptionis vitio non laboret; contra, si earum una duntaxat vera sit, gratia subsistet, quando allegatarum singulae seorsim sumptae ea vi pollent; ut ut ad *cit. Rubricam* dictum a n. 84.

Dubium nunc & sicut frequentis in praxi usus sic difficilis resolutionis quaestio est de tempore, quod dispensationis causam esse veram, est necesse; quadruplex enim tempus est. Primum, quod Oratores supplicationis literas mittunt Romam. Alterum, quod dispensationis literae Romae expediuntur. Tertium, quod istas sibi exhibitas Ordinarius vel Confessarius exequitur & cum Oratoribus actu dispensat. Postremum, quod isti dispensationis gratiam sibi factam, conjugium ineundum, utuntur.

93. Primò sive missionis tempore, si causa non subsistat, dispensationem obreptionis vitio laborare & esse irritam, suadet ratio; quia si eod tempore non subsistat, Oratores dolose mentiuntur: dolose autem mentientibus gratia Apostolica non suffragatur, c. *Super literis 20. de Rescriptis*, quod relatus Innocentius III. eos, qui falsitatem per malitiam expriment, *In sua perversitatis penam nullam ex literis Apostolicis commodum consequi*, declarat. Sed ratio haec intentum non persuadet; quia, sicut clausulas, *Si ita est, Si preces veritate nitantur*, sic & c. *citt.* textum ad Apostolicam concessionis tempus referendum, patet ex *cc.* mox allegandis, & DD. fere omnium sententia est, Sanchez *disp.* 30. u. 2. & Perez *f.* 6. n. 2.

94. Secundò itaque, sive literarum in Curia Apostolica expeditarum, tempore causam dispensationis veram esse, necessarium aded est; ut, quamvis ea antè & postea existat, gratia non subsistat, ut planè liquet ex c. *Quia circa cit.* & c. *Si eo tempore*

o o

tempore *g. de Rescript. in 6.* quorum textuum priori ex causa habitæ prolis concessa dispensatio irrita habetur ex ratione; quod illa, *Ante dispensationem obventam, viam fuerit uniuersæ carniæ ingressa*; posteriori, à Papa prouisus de beneficio curato hoc consequi nequit, *Si tempore datæ sive expeditionis literarum Apostolicarum ob defectum legitimæ ætatis Non sit idoneus*: quamvis idoneus sit tempore collationis sive executionis literarum. Ratio est; quia dispensationis gratia fit cum expressa vel subintelligita clausula, *Si preces veritate nitantur*. Cùm ergo istius clausulæ sensus sit, si preces mihi propositæ veræ sint, pro dispensatione impetranda allegatam causam veram esse, necesse est tempore concessionis & expeditarum in Curia literarum. Ita cum Panormit. & Alex. de Nevo *in c. Quia circa cit. n. 8.* Gutierrez *2. Q. Canon. Lib. 2. cap. 15. n. 131. cit. Sanchez n. 4. & Perez n. 3.* Quare hi DD. Ordinarios & Confessarios salubriter monent, ut diligenter examinent, an dispensationis petitiæ causæ veræ fuerint tempore datæ seu commissionis Apostolicæ; ne ob causæ, dispensationis commissæ tempore non subsistentis, defectum dispensatio obreptitiæ ejusque vigore contractum matrimoniū irritum sit.

Sed, licet hæc explorata omnino videantur, si dispensationis literæ, ut *cc. cit.* & stylò veteri fiebat, contineant gratiam jam factam, casu tamen, quò, ut modernò stylò solet, illa gratiam faciendam sive dispensandi mandatum duntaxat continent, Corradus *Lib. 7. cap. 6. n. 24.* sufficere existimat, si pro dispensatione impetranda allegatæ causæ veræ sint tempore actualis dispensationis, de qua mox.

Tertiò enim sive ipsius executionis 95. ab Ordinario vel Confessario faciendæ

tempore causam esse veram, ac proinde ejus veritatem perferare vel latentem existere oportere, docent Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 20. n. 13. cit. Sanchez n. 8. Pontius cap. 20. n. 3. & Perez n. 4.* Ratio est; quia Confessario & Ordinario non datur facultas injustam, sed iustam tantum dispensationem concedendi: dispensatio autem, causâ finali totâ cessante, esset injusta; cùm destitueretur legitimâ causâ, hòc ipsò; quòd ista jam cessant.

Postremò etiam sive usus v.g. ipsius contractus nuptialis tempore causam verificari, ad valorem dispensationis exigunt *cit. Sanchez n. 14. & Coninck disp. 33. n. 94.* eandem reddentes rationem, & confirmantes exemplò dispensationis ad comestionem carniū in Quadragesimâ impetratæ, allegatâ speciali infirmitate: quâ cessante dispensationis usus & esus carniū cessat; quòd, si dispensatio ad valetudinis planè recuperatæ tempus porrigeretur, injusta fuisset. At meliùs, causâ postremò hoc primùm tempore cessante, dispensationis gratiam in impedimento factam perseverare, *Atq. Regule Decet. 16. in 6. cum Sylvestro ff. Dispensatio q. 11.* defendunt *cit. Gutierrez cap. 15. à n. 30. Suarez cap. 20. n. 15. Pontius n. 4. Perez n. 6. & Gobat Tract. 9. n. 677.* Ratio est; quia gratia dispensationis consummatur ipsâ relaxatione legis, sive impedimenti per legem introducti ablatione: quâ semel rite factâ sublatum impedimentum non redit; cùm, si preces veritate niti conuictis, in eo ad matrimoniū validè contrahendū effectum dispensatio simpliciter & absolute concedi jubeatur, & concedatur à literarum Apostolicarum executore.

Neque paritas est cum dispensatione ad esum carniū; quia, sicut obligatio à carnibus abstinendi, sic in ea causa præsentis infirmitatis indulgentia dispensatio

spensatio successiva & virtute multiplex est pro numero dierum Quadragesimæ: quorum singulis cum virtualiter singulæ dispensationes respondeant, singulæ exigunt justam causam; ut, causâ respectu posteriorum cum tempore cessante, respice. Et earum dispensatio cesset. Secus est in dispensatione super impedimento; quia hæc unica individuâque est, & ad unum atque indivisibilem effectum tota simul conceditur; atque idcirco, ejus causâ concessionis tempore existente, tota consummatur & effectum proximum sive ablationem impedimenti consequitur.

97. Dubium secundum est, an valida sit dispensatio facta ex causa, quam ab Oratore fideliter expositam dispensans justam ac sufficientem esse, bonâ fide & rationabiliter existimavit: licet revera sufficiens non esset. Illam certè, ex eâque secutum matrimonium valore destitui, cum Pontio *Lib. 8. de Matrim. cap. 14. n. 8.* vult Palao *Tract. 3. disp. 6. p. 8. §. 2. n. 5.* cum; quod aliâ validum esset matrimonium sine dispensatione initum à sponsis, istâ sibi opus non esse bona fide existimantibus: tum verò; quod allegantes superiorem sine legitima causa dispensasse in Curia Apostolica audiuntur, licet ille causam ex qua dispensavit, legitimam fuisse, bonâ fide existimavit.

Sed à generali doctrina de dispensatione in lege, tradita *Lib. 1. tit. 2. n. 170.* non recedendum & benignior sententia præferenda est cum Azor *p. 1. Infit. Lib. 7. cap. 29. q. 6.* Sanchez *cit. disp. 17. n. 8.* Joan. Sancio *Select. disp. 54. n. 39.* & Perez *disp. 45. f. 1. n. 3.* talem dispensationem pro valida habentibus, eâque persuasione ratione; quod verisimile non sit, aliam summi Pontificis mentem esse circa leges suas & Dei circa suas, in quibus dispensandi facultatem inferioribus permisissent; cum dispensationem ab

his factam ex causa, quam legitimam esse prudenter existimârunt, subsistere Ecclesiæ rectâ gubernatio exposcat; ut fidelium obvietur scrupulis eorumque conscientiarum tranquillentur; atque ab Ecclesiarum Prælatibus bona fide ac prudenter gesta firmitatis robore non destituantur, facillèque infringantur.

Hinc tamen legitime non inferitur valor matrimonii, bonâ fide initi ab ignorantibus impedimentum; quia, privatis ignorantibus bonam fidem ad illius valorem non proficere, satis liquet ex eo; quod ab ipsis impetrata super impedimento dispensatio invalida sit, quando ab ipsis per meram simplicitatem & ignorantiam; ac proinde bonâ fide falsitas expressa aut suppressa est veritas, quam si revera subsit, exprimi Jus vel Curia stylus requirit, per textum *c. Quia circa 6. de Consang. & Affinit. & arg. c. Super literis 20. de Rescriptis*, atque ad hanc Rubr. tradita à *n. 79.* Ratio est; quia privatorum bonâ fide gestos hujusmodi actus valere, Ecclesiæ istiusque fidelium rectâ gubernatio non exposcit; quod eorum nullitas obnoxia non sit incommodis, quæ secum trahit nullitas eorum, quæ ab Ecclesiarum Prælatibus bona fide & debita circumspectione geruntur.

Neque in contrarium urget praxis Curia, cum; quia à superiore sine legitima causa dispensatum exponentes in Curia ideo audiuntur; quod dubium sit, an is prævia causâ cognitione & circumspectione debita processerit dispensando: tum verò; quia in hac peti & impetrari sæpè solent dispensationes non ob præcisam earum necessitatem, sed ex superabundantia ad majorem securitatem hominum scrupulosorum plenèque tranquillandas eorum conscientias, ut rectè observat *cit. Perez n. 4. in fine.*

## ARTICULUS VI.

De exprimendis in Literis Imperationis Dispensationis Matrimonialis.

## SUMMARIUM.

99. Subreptitiam facit dispensationem reticentia veritatis exprimenda.
100. Super quibusdam impedimentis nunquam.
101. Aut rarissimè dispensatur.
102. In supplicatione super aliis exprimendus est I. Gradus remotior,
103. Et ex propinquis primus consanguinitatis & Affinitatis,
104. II. In publica Honestate gradus non semper est exprimendus.
105. III. In Affinitate exponenda qualitas copula, ex qua est orta.
106. IV. In cognatione Spirituali, an Paternitas vel Compaternitas sit.
107. V. Multiplicitas impedimento- rum, si plura ejusdem,
108. VI. Vel diversa rationis matrimonio obstant.
109. Non tamen semper, si cum Affinitate publica honestas concurrat.
110. Plura impedimenta exprimenda sunt iisdem literis.
111. VII. Matrimonii, scienter vel ignoranter initi, contractus.
112. VIII. Et copula intercedens inter Oratores:
113. Si ea admissa fuit ad facilius impetrandam dispensationem.
114. IX. Dispensatio super impedimento jam semel obventa:
115. Si ea tertio magis præjudicetur,
116. Vel aliàs magnitudo gratiæ non intelligatur.

117. Extra quos casus ejus expressio necessaria non est.

118. X. Negatio dispensationis antè petita:

119. Cujus expressio verius necessaria non est.

**S**icut Dispensationē, tanquam obreptitiam, vitiat causā in supplicatione expressæ falsitas, sic eam subreptitiam & invalidam reddit suppressio sive reticentia alicujus eorum, quæ si subsint, exprimi de Jure vel Consuetudine sive approbatō & notoriō Curie Romanæ stylo ita debent; ut, gratiam literis Apostolicis factam, aut earum vigore faciendam valere, Papa nolit, nisi ea Orator exponat, per tradita *Lib. 1. tit. 3. à n. 41.* Quare operæ pretium erit, si ex iis, quæ ab Oratoribus pro ejusmodi dispensationis gratia supplicantibus in literis imperationis de Jure vel Consuetudine seu stylo illo exprimenda sunt, magis notabilia scituque in praxi necessaria attingantur. Qua in re

Præmittendum certumque est Imprimis super impedimentis, quæ personas ad matrimonium inhabiles Naturali aut Divino jure reddunt: ut Etas carens usu rationis, Impotentia, Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ & Ligamen, sive matrimonii consummati vinculum sunt, dispensationi locum non esse, juxta dicta *Lib. 1. tit. 2. n. 134.*

Deinde, super Erroris, Conditionis servilis & Vis seu Metus impedimentis dispensatione non esse opus; quod errore circa personam vel conditionem ejus detecto, vique seu metu cessante, contractantium personæ, licet à conjugio in Ecclesiæ facie contracto sine Ecclesiæ judicio nequeant recedere, id tamen invalidè ininitum, mutuum consensum per verba de præsentī renovandō, ratificare & revalidare



revalidare valeant, ut infra *an. 170.* late declarabitur.

Simili modo dispensatione opus non est in impedimento Raptus; cum raptor, si feminam, quam invitam abduxit, in loco tuto & extra suam potestatem constituerit, sponte consentientem ducere non prohibeatur à Tridentino *Sess. 24. cap. 5. de Res. Matrim.* ut adeò dispensatio eò solum casu locum haberet, quò femina, mutatà voluntate in matrimonium consentiens, in loco tuto & extra raptoris potestatem constitui propter obstacula extrinseca non posset. Eòdem modo sine dispensatione tolli potest Claustrinitas, & matrimonium celebrari coram proprio paroco & duobus vel tribus testibus; ut dispensatione opus eò solum casu sit, quò horum aut illius præsentia haberi non posset.

101. Demùm in Voti solennis, tam sacri Ordinis susceptione, quam Religionis à sede Apostolica approbatæ professione editi, vinculo & disparitate Cultus, in Cognitione naturali lineæ rectæ & gradu, primò remotiore, quæ inter avum & neptem, proavum & proneptem &c. intercedit, in ejusdem cognationis lineæ transverse gradu primò, quo frater & soror, & in Affinitatis ex copula conjugali ortæ primo gradu tam lineæ rectæ, qua socer & nurus, focrus & gener, vitricus & privigna, privignus & noverca, quam transverse, quæ fratri fratris defuncti uxor, sorori defunctæ sororis maritus conjuncti sunt, etsi juris solum Ecclesiastici impedimenta sint, & in vinculo matrimonii Rati dispensationes concedi, vel non consuetum, vel rarissimi & omnino extraordinarii exempli in Ecclesia est; ut, quæ in impetrationis literis, præter justam eamque gravissimam causam &, si quæ matrimonio contrahendo obstarent, alia impedimenta nuptialia, uti & matrimo-

nium de facto contractum aut istius obtinendæ intuitu intercedens carnale commercium, exprimenda sint, hòc loco persequi non sit necesse.

Super aliis nuptiarum impedimentis si dispensatio petatur; ne subrepticia ejus gratia sit, in Supplicatione exprimendus est

Primò consanguinitatis & affinitatis 102. gradus, quò Oratores sunt conjuncti: &, si inæquali gradu conjuncti sint, gradus remotior, ut constet de impedimento; cum, si v.g. consanguineorum alter à communi stipite quintò gradu distaret, ulla dispensatione opus non foret post Concilium Lateranense *c. Non debet 8. de Consang. & Affinit.* Propinquior autem gradus exprimendus necessariò tantùm est, 103. quando est primus consanguinitatis vel affinitatis, v.g. si Titii nepos, pronepos, abnepos pro matrimonio cum ipsius filia in eundo peteret dispensationem. Ratio est; quòd propter singularem indecentiam cum personis ita conjunctis, si non exprimat, dispensare sua Sanctitas nunquam intendat, secundùm, *Constitutionem Pii V. quæ incipit Sanctissimus, editam 26. Augusti 1566.* quæ, cum de sola consanguinitate & affinitate loquatur, ejus dispositio porrigenda non est ad alia impedimenta, *arg. l. Commodissime 10. ff. de Lib. & posth. Conradus Prax. Dispens. Apostol. Lib. 8. cap. 7. n. 24. §. Sanè.*

Neque cum Oratorum alter tertio, alter secundò consanguinitatis vel affinitatis gradu à communi stipite remotus est, secundum etiam gradum exprimendum, rectè desumitur ex Literis ab Urbano VIII. in forma Brevis relatis à Barbosa *Votor. Decis. Lib. 2. Voto 3.* quibus summus hic Pontifex pro invalido & incestuoso habet conjugium, à Nobilissimis Sponsis Antonio & Francisca initum vigore literarum Apostolicarum, quibus

003

tertia

tertiū dūtaxat, non etiam secūdi gradūs, quō alter à communi stipite distabat, mentio facta erat; quia hoc Papa non asseruit ipse, sed Officiali Toletano visum refert: & si id ipse asseruisset, hoc ejus rescriptum tribunalium praxi receptum non est, postquam *Constitutio* Pauli IV. talia matrimonia pro irritis habentis, à Pio V. *Constitut. cit.* fuit abrogata, ut advertit Gobat *Experient. tract. 9. n. 621.* & Perez *disp. 46. de Matrim. f. 5. n. 7.*

104. Secundo, sicut in consanguinitate & affinitate, sic etiam in impedimento publicæ honestatis gradum in Supplicatione exprimentum, communis est doctrina: quæ tamen distinctionem hodie exposcit inter publicam honestatem, ex sponsalibus de futuro, & de præsentī sive ex matrimonio rato ortam; cum enim ex illis ortum nuptiale obstaculum ex decreto Tridentini *Sess. 24. cap. 3. de Ref. matrim.* ultra gradum primum non porrigatur, ejus gradum exprimi non est necesse: licet istius expressio necessaria sit, quando illa orta est ex matrimonio rato. Quantumvis etiam istius matrimonii mentio necessariò faciendā non sit, quando ea secūdi aut remotioris est gradūs, ipsum tamen matrimonium exprimentum est, quando pro dispensatione in primo ejus gradu supplicatur. Ratio prioris est; quod, cum hodie ex solo matrimonio rato ortum publicæ honestatis impedimentum in secundo & remotioribus gradibus matrimonium dirimat, expressio tali gradu super impedimento, ex matrimonio orto, dispensationem peti, satis intelligatur. Posterioris autem; quod expressio gradu primò super publica honestate, ex matrimonio rato potius quàm ex sponsalibus de futuro orta, dispensationem peti, satis non exprimitur: impedimentum autem ex matrimonio ortum exprimi necessarium sit; quia ex isto ortum impedi-

mentum gravius & urgentius est; cum utique multò indecentius sit matrimonium initum cum sorore, filia, matre sponse de præsentī, quàm de futuro, Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 24. n. 16.* Pontius *Lib. 8. de Matrim. cap. 17. n. 29.* & Perez *cit. f. 5. n. 15.*

Tertiò, in supplicatione pro dispensatione super affinitate in primo vel secundo gradu exprimentum est, an ea proveniat ex copula carnali licita vel illicita; quia ex licita sive conjugali copula orta includit publicam honestatem, ex sponsalibus præcedentibus ortam: non etiam orta ex illicita; & propterea illius vinculum fortius est vinculo affinitatis ex illicita copula provenienti. *In primo, inquam, & secundo;* quia, si dispensatio super affinitate in tertio aut quarto gradu petatur, eam ex licita copula ortam exprimere, non est necesse; cum ex illicita orta affinitatis impedimentum nuptiale ultra secundum gradum non extendatur, ex decreto Trident. *cit. Sess. 24. cap. 4. de Ref. Matrim. cit.* Sanchez *n. 39.* & Pontius *n. 30.*

Quartò, si super impedimento conjugationis spiritualis dispensatio petatur, exprimentum imprimis est, an ea Paternitas vel Comaternitas sit; quod propter reverentiam, quam patri vel matri spirituali hujusmodi filius & filia debent, ad conjugium ineundum multò facilius dispensetur cum eo, cujus quis prolem suscepit ex Baptismo vel tenuit in Confirmatione, quàm cum eo, quem tenuit aut suscepit. Imò, ad matrimonium cum filio aut filia spirituali ineundum dispensationem aliquando concessam, à se auditum lectumve, disertè neget *cit.* Sanchez *n. 15.* & unicum matrimonium, quod Apostolicæ dispensationis vigore patet spiritualis cum hujusmodi filia contraxisse perhibetur à Pontio *n. 28.* in faustum exitum ha-

tum habuisse, ipse fateatur. Deinde secundum aliquos exprimendum est, an cognatio orta sit ex Baptismo vel Confirmatione; quod naturalem cognationem magis imitetur spiritualis ex illius, quam istius Sacramento orta; atque idcirco Supplicationes, hujus cognationis originem non exprimentes, in Curia Apostolica non admitti, asserat Corradus *Lib. 3. cap. 8. n. 15.* qui tamen numeri prolium ex sacro fonte susceperunt expressionem minimè necessariam, ait *n. 16.*

107. Quintò, quando Oratores ex duplici titulo conjuncti sunt, sive duplici ejusdem rationis impedimento laborant; quod v.g. Titius & Caja non ex uno tantum, sed ex duobus stipitibus communibus descendant, & ratione patris matrisque in æquali vel inæquali gradu consanguinei sint, si idem Titius duas consanguineas Cajæ, quam ducere vult, carnaliter cognovit; si Titius proles Cajæ, quam ducere vult, & hæc vicissim illius proles ex Baptismo suscepit vel tenuit in Confirmatione: si matrimonium ratum vel sponsalia contraxit cum duabus consanguineis ejus, quam ducere vult &c. utrumque titulum v.g. utramque consanguinitatem vel affinitatem &c. exprimendam, verisimilius censent *citt. Sanchez n. 5. Pontius n. 25. & Perez f. 5. n. 4.* Ratio est; quia duplex conjunctio, cum fortior & intensior simplici sit, minùs facile quàm simplex relaxatur. Unde etiam, si Orator cum duabus ejusdem viri uxoribus interveniente adulterio matrimonium de facto contraxit, vel de contrahendo fidem eis dedit, vel si in necem duorum ejusdem uxoris maritorum eâ consentiente & matrimonii cum illa ineundi intentione machinatus est, ejusdem criminis iterationem exprimendam, docet Vincent. de Jussis *Lib. 1. cap. 4. n. 189.*

108. Sextò, multò magis, si Oratorum

conjugio plura diversæ rationis impedimenta obstant; quod v.g. consanguinei & affines vel cognati spirituales, vel in alterius mortem machinati, vel continentia vorò alter vel uterque obstricti sint, omnia impedimenta erunt exprimenda. Ratio est; quod, cum matrimonio contrahendo omnia obstant, omnia egeant dispensatione: ista autem strictæ interpretationis sit, & de stylo Curia ab uno ad alterum non porrigatur.

Excipit hoc locò Gobat *citt. Tract. 9. n. 618.* affinitatem concurrentem cum publica honestate, & hujus expressionem in impetrationis literis non necessariam, ait. At hæc ejus exceptio nequaquam perpetua, sed vera tantum est, quando affinitas orta est ex copula licita seu conjugali, v.g. si Titius matrimonium inire velit cum Caja, consanguinea Berthæ uxoris suæ carnaliter cognita; cum enim eò ipsò, quod Bertha fuerit Titii uxor, ejus etiam fuerit sponsa, expressâ affinitate, proveniente ex copula licita, eam præcedentis publicæ honestatis impedimentum exponetur & intelligetur. Non etiam, quando affinitas orta est ex copula illicita, v.g. si Titius matrimonium inire velit cum Caja consanguinea Berthæ, cum qua prius est fornicatus; cum enim fornicariam copulam sponsalia sæpe non præcedant, expressâ affinitate in genere, vel ortâ ex copula fornicaria, publicè honestatis impedimentum non exprimitur aut intelligitur, *citt. Sanchez n. 36. Pontius n. 30. & Perez n. 14.*

Dubium controversumque est, an **110.** omnia impedimenta matrimonio obstantia eadem supplicatione sint exponenda; hoc enim minimè necessarium, sed sufficere, si super singulis dispensatio petatur literis diversis, cum Navarro *Consil. 1. & 4. de Consang. utrobique n. 2.* existimat Henriquez *Lib. 12. cap. 3. n. 8.* cum; quod unum

unum sine altero, sicut esse, sic etiam tolli queat: sicut criminum homicidii ac furti unum sine altero, sicut committi, sic & remitti potest: tum verò; quòd, plurium dispensationem iisdem literis petendam, nec expressum Jure, nec stylò Curia sit receptum.

Sed meliori ratione omnia impedimenta iisdem literis exponenda, cum Panormit. in c. Non debet cit. n. 12. Alex. de Nevo ibid. n. 11. docent Sylvester *V. Matrimonium* 8. q. 14. d. 12. Covarruvias p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 4. in fine cit. Sanchez disp. 23. n. 2. & Pontius cap. 17. n. 32. quòd, ut dispensatio subreptitia non sit, impedimentum exponi necesse sit secundum totam gravitatem, quæ concessionem intrinsecè reddit difficiliorem: impedimenta autem plura conjuncta, eò ipsò; quòd fortius ligent, dispensationis concessionem difficiliorem reddant, quàm exposita seorsim; cum impedimentorum pluralitas saepe causa sit, cur dispensatio negetur.

Quare speciosum magis quàm firmum est oppositæ Opinioni fundamentum prius; quia, licet tolli unum valeat sine altero, id tamen ordinariè non fit à Papa, dispensare non intendente, nisi impedimentum cum tota gravitate expositum sit. Minus solidum imò vanum est posterius: quòd stylus Curia utriusque expressionem duobus tantum casibus non exposcat, scilicet quando impedimentorum alterum sine dispensatione tolli alià vià potest, sicut cum consanguinitate v.g. concurrentia impedimenta voti editi ab impubere & sponsalium cum alio initiorum tolli possunt parentis vel tutoris irritatione vel prioris sponsi remissione: & quando impedimentorum alterum occultum ejusque generis est; ut ejus manifestatio afferat notam infamiae & reatum poenæ, ut v.g. manifestatio copulae ince-

stusæ cum consanguinea vel machinationis in necem conjugis consanguineæ, quam quis ducere vult; quòd jure optimo præsumatur, Papam non velle, ut cum infamiae & punitionis periculo occultum crimen sibi exponatur. Et si verò tali casu, suppressò hujusmodi impedimentò occultò, in Supplicatione alterum tantum impedimentum exponere sufficiat, alterum tamen, super quò impetrata est dispensatio, & hanc etiam, Poenitentiariorum exponendam, monent DD. cit.

Septimò, ex decreto S. Synodi Trid. III Sess. 24. cap. 5. de Ref. Matrim. in Supplicatione pro dispensatione super consanguinitatis, affinitatis, aliòve simili, imò quovis alio impedimento dirimente faciendæ mentio est matrimonii, cum eo scienter (ab utroque, non ab altero tantum) contracti, aut etiam ignoranter, sed denuntiationibus sine justa causa commissis: & si matrimonium ita initum consummârint, istius etiam mentio est faciendæ. Ratio est; quòd S. Synodus tales dispensationis consequendæ spe carere voluerit: non quidem simpliciter & dispensandi potestatem Papæ restringendò; quia Papæ manûs ligare non potuit, *arg. c. Innotuit* 20. de Elect. neque etiam voluit, ut ipsamet S. Synodus declarat *Stiff. 25. cap. 21. de Ref.* Sed eum instruendò & hortandò; ut hujusmodi dispensationes rarò, & non nisi ex justissima causa concedat, *citt. Perez* f. 7. n. 7. & *Corradus* cap. 3. n. 8.

Octavò, exprimenda in Supplicatione est copula, inter Oratores consanguineos aut aliter impeditos habita. Quia in re tamen DD. in utramque partem euntium Opiniones contrariæ à *citt. Gobat* n. 626. in concordiam reducuntur auxiliò distinctionis; vel enim copula habita fuit eâ intentione, ut facilius impetraretur dispensatio, vel sine talii men-

tione ex infirmitate & vesana libidine impellente?

113. Si prius, ne gratia subreptionis vitio laboret, ejus mentionem faciendam, censet cum Navarro *Manual. cap. 22. n. 86. versu 5.* Gutierrez *Lib. 1. Q. 2. Canon. cap. 15. n. 20.* & cit. Sanchez *disp. 25. n. 38.* id defumentibus ex notorio & approbato stylo Curie Apostolicæ, hujusmodi dispensationum rescriptis inferentis clausulam, *Dummodo copula habita non sit spe dispensationis facilius obtinenda.*

Si posterius, & copula publica non sit, eam non necessariò exprimendam; ac proinde ejus reticentiã dispensationem non vitari, verisimilius ait cum cit. Navarro *V. cit. Henriquez Lib. 8. cap. 17. §. 6. n. 32.* Pontio *cap. 17. cit. n. 32.* & Hurtado de Matr. *n. 23. disp. 26.* Ratio est; quòd ex una, copula carnalis, si exprimitur, Papam moveat ad dispensationis gratiam facilius concedendam; ut omnes agnoscunt: ex altera verò parte, reticentiã veritatis, quæ si exprimeretur, Papam moveret ad gratiam facilius concedendam, rescriptum non vitiet, per ea, quæ in *e. Super literis 20. de Rescript.* cum Glossa *V. Literas* notant Felinus *n. 8.* Decius *n. 9.* & Berolius *n. 75.* quod aliis DD. relatis Pontius *n. 33.* adeò verum existimat; ut, etiamsi dispensatio pro externo foro obtenta sit cum clausula, *Dummodo copula habita non sit*, illa adhuc valeat, licet copula re ipsa intervernerit & coram Ordinario super ea interrogante reticeatur: dummodo copula non sit publicè nota, & in externo foro nequeat probari.

114. Nondè, in supplicatione pro dispensatione secunda, primæ super eodem impedimento obtentæ, mentionem exprimendam: secus dispensationem ex subreptione invalidam fore, communis assertio est, fundata in decisionib<sup>9</sup> *e. Veniens 19. de Prescript. §. c. fin. de Filijs presbyr. in*

6. quarum priori privilegium subreptitium habetur ob reticentiã privilegii super eòdem articulo, sed minùs amplè, concessi: posteriori ob idem vitium irrita habetur illegitimo indulta dispensatio super obtentione & retentione beneficii secundi; quòd in ea mentio facta non sit dispensationis super primo. Sed decisiones istæ ultra, quàm par est, porrigendæ non sunt; cum

Certum sit, prius impetratæ mentionem in supplicatione ad secundæ valorem necessariam non esse, quando secunda dispensatio cadit supra materiam diversam, aut ad diversum finem tendit, v.g. si post impetratam dispensationem in lege jejunii supplicetur pro dispensatione in voto continentie ad matrimonium in eundem, cit. Sanchez *disp. 22. n. 5.* & Suarez *cap. 23. n. 2.* Ratio est; quòd, prioris mentionem necessariam esse, neque ex Jure neque ex praxi constet.

Quando utriusque dispensationis materia est eadem, & ad eundem finem utraque tendit, ut posterioris impetratio subreptitia non sit, prioris dispensationis mentio in Supplicatione pro posteriori duobus casibus faciendæ est.

Unus est, quando dispensatio vel privilegium tendit in præjudicium tertii, & huic per posteriorem ampliorem magis præjudicatur, quàm per priorem: sicut accidit *e. Veniens cit.* ex cujus decisione privilegio exemptus à solutione decimarum v.g. ex frumento, si nullà istius mentione factâ impetret privilegium eximens à decimarum solutione ex vino &c. eidem faciendæ, posterius hoc privilegium subreptitium & irritum est. Simili modo, quòd Ecclesiarum & beneficiorum pluralitas cedat in præjudicium Ecclesie, cui plures ministros sibi servientes habere expedit, *can. Sanctorum 2. dist. 70. c. Quoniam 3. de Cleric. non resid. c. Quia*

P p

in can.

in tantum 5. Extravag. Execrabilis Jo. XXII. de Præbend. &c. in secundi beneficii impetratione mentio facienda est primi, ut provisio subreptitia non sit, c. Cum aded 17. de Rescript. c. Si motu 23. de Præbend. in 6. Pontius cit. cap. 17. n. 6. Palao Tract. 3. disp. 6. p. 16. §. 4. & Perez f. 3. n. 3.

116. Alter, cum prioris dispensationis nullam mentionem factam Papa impedimento, quod dispensandum aufert, totum vel quantitatem aut qualitatem gratiæ, quam facit, sufficienter non cognoscit, sicut iterum accidit c. fin. cit. ubi dispensatio ad secundum beneficium propter reticentiam defectus natalium, super quo dispensatio obtenta jam fuit ad obtinendum beneficium primum, pro subreptitia habetur; quod defectu illò non expositò Papa plenè informatus non fuerit de impedimento; cum defectus ille per dispensationem primam plenè sublatus non fuerit. Unde prius obtentæ dispensationis expressio non tam ratione sui, quam ratione defectus natalium necessaria fuit; & si defectus iste sine mentione dispensationis primæ in Supplicatione pro secunda expositus fuisset, dispensatio subreptitia non fuisset, ut c. cit. cum Dominico n. 7. & Franco n. 2. intelligunt Covarruvias p. 2. cit. cap. 8. §. 8. n. 5. Suarez cap. 23. n. 7. & Pontius n. 7. & hunc intellectum desumunt ex ratione reddita c. cit. Quod non sit verisimile sedem Apostolicam cum illo prædictum patiente defectum voluisse, si hoc fuisset expressum, eidem in pluralitate hujusmodi dispensare. Simili modò, si post primam dispensationem super beneficii fructibus sine residentia percipiendis ad quinquennium, istò elapsò, pro alio quinquennio dispensatio petatur, ut ista subreptionis vitio non laboret, prius obtentæ mentio est faciendâ, DD. cit. quòd, primam dispensa-

tione ad quinquennium non expositâ, non cognoscatur quantitas gratiæ dispensationis, fortassis non concedenda, si prima exposita fuisset. Eòdem modò in Supplicatione pro dispensatione super impedimento criminis adulterii cum machinatione in necem conjugis, ut valeat, exprimenda est dispensatio super eodem crimine semel jam obtenta; cum enim super eo iterata dispensatio difficillimè concedatur, primam non expressam Papa non satis informatur de gravitate impediti & quantitate gratiæ, quam facit, arg. l. Nemo 3. C. de Episc. audient. cit. Pontius n. 7. & 8. Pontius n. 5. & Perez n. 4.

Præter duos hos casus prioris dispensationis reticentiam posteriorem, super eodem articulo impetratam, ex subreptionis vitio invalidam non reddit ex mente DD. antè cit. secundum quos, ad matrimonium ineundum super voti, consanguinitatis aut alio impedimento dirimente impetrata dispensatio secunda valida est: licet prioris, super eodem impedimento ab eodem impetrata, ulla mentio non fiat. Neque refert; quòd prior Operator non fuerit usus, aut ea fuerit invalida; quia Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, Regula est 52. in 6.

Decimò, si dispensationis antè negatæ petitio iteretur, in secunda petitione ejus ante postulatæ ac negatæ mentionem faciendam: & si omittatur, dispensationem subreptitiam fore, asserit Menoch, de Arbitr. casu 203. eà ductus ratione; quòd secunda admittitur ex errore, & iterum neganda fuisset, si prior repulsa exposita fuisset. Sed hæc iteranda negationis præsumptio levis est; quòd, si petitionem iterandam plures & efficaciores rationes seu causæ allegentur, iis superior ad gratiæ antè denegatæ concessionem valeat moveri,

Quare

119. Quare, antè negatæ retentiã dispensationem coram eodem aliõve superiore iteratam vitiari, meritò negant *est.* Sanchez *disp. 22. n. 14.* Suarez *cap. 22. à n. 7.* & Pontius *n. 3.* quòd negationis exprimendæ necessitas neque Jure vel consuetudine seu stylo Curie, neque ratione evincatur; etiamsi petitio iteretur coram denegantis inferiore, jurisdictionem ordinariam habente; cùm istius facultas superioris denegatione nec tollatur nec restringatur.

ARTICULUS VII.

De Supplicatione pro Dispensatione Matrimoniali.

SUMMARIUM.

- 120. Dispensationes super impedimentis publicis à Dataria,
- 121. Super occultis à sacra Pœnitentiaria expediuntur.
- 122. Quatuor exprimenda in Supplicatione.
- 123. Super publicis & pro foro externo petuntur ab ipso Papa.
- 124. Forma Supplicationis, ei super consanguinitatis,
- 125. Et super Publica honestatis impedimentis oblata.
- 126. Super occultis & pro foro interno petuntur à Majori Pœnitentiario.
- 127. Forma supplicationis, ei super voti continentia,
- 128. Et ex copula illicita orta affinitatis impedimentis oblata.
- 129. Eademque brevius concepta.
- 130. Inscriptio & terminatio Supplicationis.

**D**ispensationes, sive Mandata Apostolica dispensandi super impedimentis conjugiorum, duplicis generis sunt; quædam enim à Dataria seu Cancellaria Apostolica pro foro externo super publicis; aliæ à sacra Pœnitentiaria Romana pro foro Conscientiæ interno expediuntur super occultis quibuscunque Juris Ecclesiastici impedimentis, exceptâ solâ Consanguinitate: super qua, si occulta sit, dispensationes à sacra Pœnitentiaria non nisi in gradibus secundò remotioribus, & ad remanendum in matrimonio jam contracto, non etiam ad contrahendum conceduntur, Filliucius *Tract. 10. cap. 10. n. 51.* & Vincent. de Justis *Prax. dispens. matr. Lib. 1. cap. 8. n. 30.* Quando autem impedimentum ad effectum dispensationis à S. Pœnitentiaria impetrandæ occultum sit, patebit ex tradendis *Lib. 5. tit. 12. à n. 168.*

In Supplicatione pro impetranda dispensatione exprimenda sunt quatuor, scilicet Primò nomina Oratorum (nisi dispensatio petatur à S. Pœnitentiaria) pro ea supplicantium cum expressione diocesis, ex qua orti sunt vel oriundi: præter quæ etiam qualitatem nobilitatis & loci particularis, puta civitatem vel oppidum, non quidem ordinariè, sed iis tantùm casibus exprimi necesse est, quibus Oratores, nobilitate sanguinis vel loci angustia allegata, Papam movere intendunt ad dispensationis gratiam concedendam. Secundò desiderium ineundi matrimonium cum una vel pluribus causis ad matrimonium contrahendum, vel in jam contracto remanendum, impellentibus. Tertio impedimentum nuptiale cum qualitatibus suis, vg. consanguinitatem vel affinitatem, cujus tertio vel quarto æquali vel inæquali gradu Oratores sunt conjuncti. Quarto petitio sive supplicatio ad suam

ad suam Sanctitatem vel majorem ejus Pœnitentiarii directâ, quatenus cum Oratoribus; ut, impedimento non obstante, matrimonium juxta formam Concilii Tridentini contrahere, vel in eo, quod de facto contractum est, permanere liberè ac licitè valeant, auctoritate Apostolica dispensare dignetur.

123. Quando pro dispensatione super impedimento nuptiali Dataria sive Cancellaria Apostolica aditur, Supplicatio pro illa impetranda non dirigitur ad Cardinalem Datarium, sed ad ipsum Papam, qui gratiam Apostolicam Datarii ministeriò concedit, ut Rotæ decisione allegata observat Corradus *Prax. Dispens. Apost. Lib. 2. cap. 1. n. 32.* Pro praxi subjicimus duo exempla seu formas supplicationum.

Exemplum Supplicationis pro dispensatione super impedimento Consanguinitatis, allegatâ Dotis incompetentiâ.

*Beatissime Pater.*

124. Exponitur humiliter Sanctitati vestra pro parte devotorum ipsius Oratorum Adriani N. laici & Theresie N. diœcesis Frisingensis, vel, si Oratores diœcesium diversarum sint, Adriani N. laici Frisingensis & Theresie N. Passaviensis diœcesis; quòd, cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem juxta statum sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum vel affinem paræ conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, dictus Orator ipsam cum dicta minus competente dote uxorem ducere intendit. Sed, quia terciò & quarti à communi stirpe provenientibus consanguinitatis gradibus conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicatur igitur humiliter Sanctitati vestra Oratores prefati, quatenus cum ipsis, quòd impedimentò quarti consanguinitatis gra-

dus hujusmodi non obstante matrimonium inter se publicè, servatâ formâ Concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare & in eo postmodum remanere liberè ac licitè valeant, dispensare: distantiam verdè prædicti gradus in non obstare, declarare, prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiandâ dignetur de gratia speciali. Non obstantibus præmissis & Constitutionibus atque Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausula opportunitatis.

Exemplum Supplicationis pro dispensatione super impedimento publicæ honestatis Jultitiæ, extinctionionis inimicitiarum & compositionis pacis causâ allegatâ.

*Beatissime Pater,*

Exponitur humiliter Sanctitati vestra pro parte devotorum ipsius Oratorum Ortonis N. laici & Euphemie N. diœcesis Augustanæ, quòd cum inter dictorum Oratorum parentes & consanguineos vel affines graves inimicitie orta jam sint & de presenti vigeant, aliunde tamen quam ex causa matrimonij, inter eos contrahendis, provenientes, & ante istius tractatum orta: spesque certa sit; quòd si Oratores sibi invicem matrimonialiter copularentur, inimicitie hujusmodi omnino componerentur, pro illis componendis & bonæ pacis cupiunt Oratores prædicti invicem matrimonialiter copulari. Sed quia alitè dictus Orator sponsalia per verba de futuro cum Oratricis sorore ad præsens defuncta contraxit, qua quidem Oratrix soror ab eodem Oratore intacta & in nullo attentata ab humanis decessit, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicatur igitur humiliter Sanctitati vestra Oratores prefati, quatenus cum ipsis, quòd



*hujusmodi primi gradus publicæ honestatis Justitiæ impedimentò non obstante matrimonium inter se publicè, servat à formà Concilij Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesie solemnizare &c. ut in forma præcedenti.*

126. Quando autem pro dispensatione super impedimento occulto & pro foro Conscientiæ interno ad S. Pœnitentiariam recurritur, Supplicationis literæ ad majorem Pœnitentiariam, qui S. R. E. Cardinalis est, diriguntur & nomine ac præ nomine Oratoris pro illa supplicantis tacitò, vel per literas NN, aut nomen fictitium, vg. Casimirus N. laicus diœcesis Ratisbonensis, denotatò, fere sequenti formà concipiuntur.

Exemplum Supplicationis pro dispensatione in voto Castitatis, infirmitate carnis allegatâ.

*Eminentissime & Reverendissime Domine.*

127. Exponitur humiliter Eminentia vestra pro parte devoti Oratoris Casimiri N. laici diœcesis Ratisbonensis, quod ipse aliàs simpliciter vovit, se castitatem perpetuò servaturum. Cum autem infirmitatibus oppressus carnis stimulu ita agitur, ut, se continenter vivere posse, diffidat, pro sua Conscientiâ tranquillitate cupit per sedem Apostolicam votum prædictum ad effectum contrahendi matrimonium commutari. Quare Eminentia vestra humiliter supplicat, quatenus prædictum votum ad hoc, ut matrimonium publicè juxta formam Concilij Tridentini contrahere & debitum conjugale exigere ac reddere licitè possit, in alia Pœnitentiâ ac pietatis opera dispensandò commutare Auctoritate Apostolica dignetur.

Exemplum Supplicationis pro dispensatione ad remanendum in matrimonio, cum impedimento Affinitatis ex co-

pula illicita provenientis contractò, allegatâ causâ scandalorum.

*Eminentissime & Reverendissime Domine.*

Exponitur humiliter Eminentia vestra pro parte devoti ipsius Oratoris Emerami N. laici diœcesis Bambergensis, quod ipse aliàs matrimonium per Verba de presenti publicè in facie Ecclesie contraxit & successivè consummavit cum muliere, cujus matrem antea carnaliter cognovit. Cum autem dictus Orator ob Affinitatis impedimentum ex prædictis proveniens, quod occultum est, in eo matrimonio remanere non possit absque sedis Apostolicæ dispensatione: & si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala verisimiliter exorirentur, cupit à præmissis, de quibus plurimum dolet, absolvi & secum super Affinitatis prædicto impedimento ad remanendum in matrimonio illo dispensari. Quare Eminentia vestra humiliter supplicat, ut super his de opportuno remedio Auctoritate Apostolica misericorditer providere dignetur.

Breviores formas Supplicationum 129. pro dispensatione super iisdem impedimentis exhibet Ardeckin Theolog. Tripartita Tom. 2. p. 2. tract. 4. §. 5.

*Eminentissime & Reverendissime Domine.*

Casimirus N. laicus diœcesis Frisingensis emisit votum simplex Castitatis perpetuæ: sed, cum ad sit vel futurum esse prævideat periculum incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium.

*Eminentissime & Reverendissime Domine.*

Emeramus N. laicus diœcesis Bambergensis contraxit matrimonium cum muliere,

*tere, cujus matrem antea carnaliter cognovit conscius (vel nescius) impedi- menti, quod occultum est. Quare, cum absque scandalo separari non possint, hu- millimè supplicant pro remedio.*

130. Inscrībuntur Supplicationis literæ à foris, Eminentissimo & Reverendissimo Do- mino Domino S. R. E. Cardinali Majori Pœnitentiario, Roma. & terminantur fere in hunc modum. *Dignetur Emi- nentia vestra rescribere N. N. proprium nomen & cognomen exprimendò, Ci- vitanis N. vel Oppidi N. Quod si in tali Oppido Confessarius Magister in Theo- logia vel Decretorum Doctor graduatus non sit, vel difficile Oratori sit ei con- scientiam suam aperire, aut hæc aperta jam sit alteri Confessario non graduato, hoc ipsum in literis erit significandum.*

### ARTICULUS VIII.

## De Forma & Clausulis Dispensationis Matrimonialis pro foro Externo.

### SUMMARIUM.

131. Dispensationes Matrimoniales à Papa committuntur.
132. Forma literarum Apostolica commissiois.
133. Earum clausula I. est, Dilecto Vicario generali &c.
134. Diœcesis Oratorum vel ipsius Oratoricis.
135. Vicario commissam exequi nequit Episcopus, & vicissim.
136. II. Quod cum Oratrix propter loci angustiam &c.
137. III. A quibusvis Excommunicationis &c. sententiis ad effectum præsentium absolventes.

138. IV. Si preces veritate nitantur,
139. Exigens cognitionem super illarum veritate, non tamen necessariò judiciale.
140. V. Discretionis tuæ, super qua specialem fiduciam habemus, mandamus.
141. VI. Super quo conscientiam tuam operamus,
142. VII. Dummodo mulier propter hoc raptâ non fuerit.
143. VIII. Constitutionibus &c. Apostolicis non obstantibus.
144. Quâ etiam gradibus, in Concilio generali prohibitis, derogatur.
145. IX. Ut matrimonium contrahere valeant, dispenses.
146. X. Servatâ formâ Concilii Tridentini.
147. XI. Prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiandò.
148. XII. Ex certis rationabilibus causis.
149. XIII. Quod ipsi honesti, Nobiles &c. sint.
150. XIV. Dummodo ipsi pauperes & miserabiles existant &c.
151. Pauperatis fides faciendâ est attestatione.

**D**ispensationes, quæ super conjugiorum impedimentis à Sede Apostolica impetrantur, ferè delegari seu committi solent cum mandato; ut, *Si preces veritate nitantur*, delegatus sive dispensationis Executor cum Oratoribus super proposito impedimento, ad effectum contrahendi matrimonium, dispenset. Delegatus autem sive Executor, ut munus sibi commissum debitò modò impleat, præ oculis habere tenorem literarum Apostolicarum, atque intelligere & diligenter observare debet clausulas illis insertas: quarum

quarum proposita declaratio, ut dilucidior & utilior sit, subiuncto exemplum commissæ dispensationis super impedimento Consanguinitatis pro foro Externo, à Dataria seu Cancellaria Apostolica expeditæ, ac relatæ à Corrado Prax. *Dispens. Apostol. Lib. 7. cap. 4. n. 8.*

**Clemens Episcopus Servus Servorum Dei.**

132. Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Neapolitani in spiritualibus generali salutem & Apostolicam benedictionem. Oblata nobis nuper pro parte dilecti filii Stephani N. laici & dilectæ in Christo filie Catharina N. mulieris Neapolitanae diocesis ex loco de Resina ortorum petitionis series continebat. Quod cum dicta Catharina in dicto loco propter illius angustiam virum sibi non consanguineum vel affinem paræ conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, cupiunt Stephanus & Catharina præfati invicem matrimonialiter copulari. Sed quia tertio & quarto à communi stirpe provenientes gradibus invicem sunt conjuncti, desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt, absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Quare iidem Stephanus & Catharina asserentes, se ex dicto loco ortos existere, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eis in præmissis de opportuna dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur eosdem Stephanum & Catharinam & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum duntaxat presentium consequendum harum serè absolventes & absolutos fore censentes, ac certam de præ-

missis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretionem tuam, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolicam scripta mandamus, quatenus depositæ per te omni spe cujuscunque numeris aut præmii etiam sponte oblatis, à quo te omnino abstinere debere monemus, te de præmissis diligenter informes: & si per informationem eandem, preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam oneramus: tunc cum eisdem Stephano & Catharina (dummodo illa propter hoc raptam non fuerit) quod impedimentum quarti consanguinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium inter se publicè, servatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesie solemnizare, & in eo postmodum remanere liberè & licitè valeant, auctoritate nostra dispenses. Distantiam verò tertii gradus præfati eis non obstare declares, prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiandò. Volumus autem, quod si spretâ monitione nostra hujusmodi aliquid numeris aut præmii occasione dicta dispensationis exigere aut oblatum recipere temerè præsumpseris, excommunicationis lata sententia penam incurras. Dat. Roma.

Harum itaque literarum Apostolicarum Clausula prima est, Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Neapolitani in spiritualibus generali vel Officiali Episcopi diocesis Oratorum pro dispensatione supplicantium: vel, si ii diocesium diversarum sint, & aliud non petatur, Officiali diocesis ipsius Oratricis. Unde tali casu in literis impetrationis seu Supplicatione Papæ oblatâ utriusque Oratoris vel saltem Oratricis diocesis exprimi, necesse est; ne

est; ne facile contra mentem Papæ & Curia stylum Oratoris Ordinario commissio fiat, ut notat *cit. Corradus Lib. 8. cap. 5. n. 26. Archi-aut Episcopi*, inquam, secundum decretum Concilii Tridentini *Sess. 21. cap. 5. de Reformat.* nullius momenti esse volentis dispensationes, nisi committantur impetrantis Ordinario sive Episcopo & qui istius jurisdictionem in eodem tribunali exercet, ejus Vicario generali. Non etiam Vicario Capituli; quia iste, licet jurisdictionis Episcopalis & Ordinariae sede vacante penes capitulum residentis exercitium habeat, non tamen Episcopi Vicarius est, ut, Curia stylo & b. Congregationis declarat. allegatis, docent *Garcias p. 6. de Benefic. cap. 2. n. 40. & Corradus cit. Lib. 7. cap. 4. n. 11.* ubi, Episcopali sede vacante, uti & quando Oratores nullius diocesis sunt, dispensationum literas Ordinatio viciniore ejusve Officiali seu Vicario generali committi consuevisse, ostendunt *Franc. Leo Thes. Fori Eccl. p. 1. cap. 10. n. 8. & Garc. à n. 44. Corrad. à n. 14.*

135. Dubium hoc loco est, an si dispensationis literarum executio commissi sit Vicario, eam Episcopus, & vicissim huic commissam executionem suscipere Vicarius possit. Ratio dubitandi obvia est; quod unum idemque tribunal eademque jurisdictione sit utriusque, *c. Non putamus 2. de Consuetud. & c. Romana 3 de Appellat. utrobique in 6.* etiam quoad causas matrimoniales, ut *arg. c. fin. de Cognat. spir. & c. 1. de Frigid. & maief.* dictum *Lib. 1. tit. 28. n. 45.* Sed, hoc de Ordinaria duntaxat, non etiam de delegata jurisdictione accipiendum, ex *ibidem n. 32.* dictis liquet. Quare proposita dubitationis resolutio quoad utramque partem negativa est; ut neque Episcopo factam commissionem, ipsum dispensationis a-

ctum exercendò, exequi Vicarius, neque factam huic expedire Episcopus valeat: sed executio Vicario, dignitatis sive Officii nomine expressò, commissi, eò officio cedente aut vitâ functo, transeat ad successorem, *Panormit. in c. fin. §. Caterum, de Offic. deleg. n. 7. ubi Felinus n. 8. & Imola n. 36.* vel si personæ nomine expressò facta sit, eò ab officio amotò, cedente aut decedente expiret, per tradita *Lib. 1. tit. 29. n. 80. & ante obitum cessionem vel amotionem subdelegando in alium nequeat transferri; cum personæ commissi mera executio sicut à Sede Apostolica commissi dispensatio censetur, nequeat subdelegari, §. Caterum cit. quòd in ejus delegatione fere personæ industria eligatur, Panormit. in §. ult. n. 2. & in §. Sin autem e. cit. n. 6. & Pirrhing ad Rubr. de Offic. deleg. n. 12.*

Secunda clausula est, *Quòd, cum 135. Oratrix in dicto loco propter illius angustiam virum sibi non consanguineum vel affinem &c. parie conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat: quâ exprimitur causa dispensationis scilicet angustia loci inter alias declarata n. 82.*

Tertia est, *Nos igitur eisdem à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque sententiis &c. ad effectum presentium duntaxat absolventes &c.* quæ absolutio ad reincidentiam dicitur: propriè tamen talis non est; cum ad cautelam facta hujusmodi absolutio non ipsa censura, si quæ Oratores irretiti sunt, etiam ad tempus duntaxat tollatur, sed solummodo ejus effectus aliquis impediatur, *Palao Tract. 29. diff. 1. p. 11. §. 2. n. 12.* Alia vis & ratio est absolutiois, quæ literis Apostolicis inseri & executoribus committi solet ac debet, quando Oratores secum dispensari petunt super impedimentis primi aut secundi gra-

etndi gradus affinitatis vel consanguinitatis cum copula subsecuta, propter excommunicationem aliisque pœnas, in huiusmodi incestuosos constitutas *Constitut.* Gregorii XIV. quæ incipit *Sicut antiquus, edita Calend. Mart. 1590.* cum ab excommunicatione ita contracta ad incestuosorum petitionem absolutio executoribus simpliciter committatur, *Corradus Lib. 8. cap. 2. n. 15. & 16.*

138. Quarta, *Te de promissis diligenter informes, & Si preces veritate nitè repereris*, exigens cognitionem & informationem & super causa finali: quæ informatio seu cognitio, seclusa veritatis precum notorietate, ad eam necessaria est; ut quantumvis preces re ipsa veræ sint, sine ipsa tamen dispensatio non valeat, *Gonzalez in Reg. 8. Cancell. gloss. 19. à n. 292. Cautierrez Lib. 2. Q. Canon. cap. 15. n. 112. & Sanchez Lib. 8. de Matrim. disp. 35. n. 15.* Ratio est; quia clausula ista inducit formam & rationem habet conditionis; ut scilicet super impedimento dispensetur, *Si preces veritate nitè, sive causam allegatam verè subesse, executor cognoverit*: ut ad eam conditionem ista non impletâ, sed adhuc pendente, nondum competat ius dispensandi. Secus esset, si dispensatio commissa esset cum clausula, *Si ita est, Si preces veritate nitentur*; quod hœc casu exprimitur clausula, quæ communi Jure inest, & expressa non reddit commissionem conditionatam, sicut eam reddit clausula, *Si preces veritatenitè repereris*; quod ista importet cognitionem de veritate, quæ ipso jure non inest: & quando cum cognitione procedi debet, rem ita, ut asseritur, se habere, non sufficiat, *arg. l. Eum, qui duobus 51. §. 1. ff. de Acquir. hered. Baldus in l. Neque natales 10. C. de Probat. n. 5. & Oldradus Consil. 41. n. 1.*

Non desunt DD. qui ad dispensationis valorem exigant cognitionem Judicialem: idque delumant ex decretis Reformatoriis S. Synodi Trident. *Sess. 14. cap. 7. postulantis, Ut committantur dispensationes loci Ordinario, qui non nisi causâ cognitâ & probatis precibus, nec aliter dispensare possit*: & generaliter dispensationes in sacris canonibus sine causâ cognitione factas pro subreptitiis haberi volentis, *Sess. 25. cap. 18.* Verum, quia eadem S. Synodus denuntiationum remissionem, quæ sacrorum Canonum relaxatio & dispensatio quædam est, Ordinariorum *Prudentia ac iudicio* sive conscientiæ dictamini relinquit *Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matrim.* & cognitionem ac probationes causæ judiciales formamque & figuram iudicii in dispensationum executione adhibendam, ullo Jure expressum non est, cognitionem extrajudicalem sufficere, ex communi DD. sensu defendunt *cit. Sanchez n. 15. & Perez disp. 48. f. 4. n. 2.* Ratio est; quia cognitio causæ dispensationis committitur conscientiæ Ordinarii, & adhibenda est ad ejus conscientiam informandam, ut liquet ex verbis, *Super quo conscientiam tuam oneramus*: quoties autem aliquid conscientiæ & arbitrio relinquitur, judicialis cognitio necessaria non est, *Glossa in c. Statutum 11. §. Assessorem V. Relinquatur & ibi Francus n. 6. de Rescriptis in 6.*

Quare, licet super precum seu causæ allegatæ veritate testes aliæque probationes recipiendæ sint, id tamen extra locum iudicii sine Notario & testium juramento aliisque judiciarii Ordinis solennitatibus fieri potest: dummodo preces sive causam esse veram, certior fiat executor ad eam; ut, si precum veritas notoria & executori undecunque certè cognita sit, testes aliæque probationes recipi,

Qq

non li c

non sit necesse ex mente DD. *citt.*

140. Quinta, *Discretioni tua, de qua in his specialem fiduciam obtinebimus, Sc. mandamus*: quæ clausula non solum subdelegationem excludit, sed delegatum quoque excitat ad executionis negotium magna circumspectione fidæque pertractandum; ne, dispensatione, precibus non verificatis & negotii circumstantiis non ponderatis, factâ, animabus sit periculosum & infelix matrimonium contrahatur, Corradus *cit. Lib. 7. cap. 6. à n. 1.*

141. Sexta, *Super quo conscientiam tuam oneramus*: vi cujus clausulæ delegatus sibi commissam dispensationis executionem subdelegandò in alterum transferre nullatenus potest; quod electa censeatur fides & industria personæ, Menochius *de Arbitr. Lib. 1. q. 68. n. 2.* & Corradus *cit. Lib. 7. cap. 6. n. 41.* Quantumvis autem ipsum dispensandi actum, tanquam nudum ministerium, exequi delegatus teneatur per seipsum, informationem tamen de precum veritate sive testium & probationum aliarum receptionem tanquam actum jurisdictionalem alteri committere non prohibetur, §. *Ceterum cit. Sanchez disp. 27. n. 34.*

Verum, etsi hæc doctrina non displiceat, inhibitionem tamen subdelegationis ipsius actus dispensationis ex hac clausula perperam desumi existimo; quod eâ monitio potius & executoris officii declaratio quam industria personæ electio denotetur, ut cum Panormit. *in c. Cum in veteri §. 2. de Elect. n. 4. Felino in §. Si autem c. fin. cit. n. 2. Navarro Consil. 6. de Officio deleg. Ugolino de Offic. Episc. cap. 4. §. 7. n. 2.* & aliis rectè observat Garcias *cit. cap. 2. n. 100.* Quare verisimilius inhibita est §. *Ceterum cit.* inhibente subdelegationem dispensationis cum irregularibus; quæ cum non minus

gravis sit dispensatio super impedimento matrimoniali, per subdelegationem ista quoque à delegato executore in alterum non poterit transferri; quod §. *cit.* dispositio porrigatur ad casus expressis similes, saltem eos, qui subjectâ ratione afficiuntur, ut *arg. l. Cum pater 77. §. 20. ff. de Legat. 2. in c. fin. cit.* notant Panormit. *n. 2. Felin. n. 8. Laiman. n. 5. & Pirrhing ad Rubr. de Offic. deleg. n. 12.* dispensationis autem matrimonialis actus nudum ministerium &, propter periculum ex ea minus providè facta male copulatorum animabus imminens, gravis & personæ industriam exposcens causa non minus sit, quam dispensatio super irregularitate; atque idcirco committi soleat cum clausula, *Discretioni tua, de qua in his specialem fiduciam obtinebimus Sc. mandamus*, de personæ in certa dignitate constitutæ fide specialem confidentiam denotante, ut cum Crescentio *in Rubric. cit. decis. 1. n. 1.* observat Corradus *cap. cit. n. 3.*

Septima, *Dummodo propter hoc raptum non fuerit*: cui clausulæ modernis dispensationibus contra veterum morem inserta verba *Propter hoc* denotant raptum ad effectum matrimonium contrahendi; quod solius libidinis explendæ causâ attentatus foemina raptus nuptiale impedimentum non inducat, per tradenda *Lib. 5. tit. 17. n. 12.* Quodsi delegatus repererit, Oratricem matrimonii contrahendi causâ ab Oratore raptam, dispensationis literæ mandari nequeunt executioni: sed Papæ offerendæ erunt novæ preces tali raptu expresso: cujusmodi literarum formam, ad easque rescripti Apostolici tenorem cum insertarum eis clausularum declaratione dabit Corradus *cit. cap. 6. n. 65.*

Octava, *Constitutionibus & Ordinibus Apostolicis ceterisque nequaquam ob-*

quam obstantibus: quâ clausulâ dispensatio quidem super consanguinitatis vel affinitatis gradu aliôve impedimento expresso confirmatur: non tamen inducitur dispensatio super ullo gradu aliôve impedimento non expresso, Felinus in 6. Nonnulli 28. de Rescript. n. 21.

144. Neque hanc clausulam ad valorem dispensationis in gradibus, c. Non debet 8. de Consang. & Affinit. prohibitis, insufficientem inde inferitur; quod c. cit. in Decretales relatum sit ex Concilio generali Lateranensi: Generalis autem Concilii Constitutioni rescripti Apostolici clausulâ generali, & sine expressa Concilii mentione non derogetur, c. Ex parte 3. de Capellis Monach. Non, inquam, hoc legitime inferitur; quia clausulâ illius derogationem, licet, ut verba sonant, generica sit, super gradu tamen consanguinitatis & affinitatis indultæ dispensationi apposita, specificæ & expressæ vim obtinet; quod ei apposita clausula Constitutionum derogatoria in solo Conciliaris Constitutionis c. cit. casu possit verificari, cit. Sanchez disp. 35. n. 17. & Perez disp. 48. f. 2. n. 14. Hâc tamen istorum DD. responsione expeditior est cit. Corradi cap. 7. n. 3. Constitutionem c. Non debet cit. Apostolicam Innocentii III. non generalis Concilii esse, asserentis; quod ejus Summario non præponantur verba ex Concilio generali, sed Idem in Concilio generali, cui Innocentius Papa interfuit: posterioribus autem hujusmodi verbis non Conciliaris, sed Apostolica Constitutio denotetur: licet in Concilio & hoc ap. probante edatur, ut notat Archid. in 6. 1. de Constit. in 6. Panormit. in c. 1. de Paliis n. 1. not. 3. & Baldus in l. Humanum 8. C. de LL. Mihi non incongruè dici posse videtur; quod à laudatis Papa & Concilio Lateranensi sola prohi-

bitionis ad quartum gradum restrictio; & huic derogantis Consuetudinis reprobatio, non ipsa graduum prohibitio originem ducat; cum ista præcis Canonibus Ecclesiasticis, eam usque ad septimum gradum porrigentibus, fuerit introducta vel in Ecclesia recepta, can. 1. c. Nullum 7. can. Progeniem 16. Sc. 35. q. 3. Sc.

Nona, Ut matrimonium publice contrahere valeant, dispenses: quâ clausulâ indicatur, literis Apostolicis non gratiam factam seu dispensationem consummatam, sed faciendam duntaxat sive dispensandi mandatum contineri; ut ante delegati actuale dispensationem contractum inter Oratores matrimonium irritum sit, Navarrus Consil. 7. de Consang. in fine Covarruvias p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 9. n. 22. & cit. Sanchez n. 18.

Decima, Servatâ formâ Concilii Tridentini, hoc est; ut matrimonium ab Oratoribus contrahatur coram proprio paroco & duobus vel tribus testibus præsentibus, in quo à S. Synodo illa introducta forma substantialis consistit: & quæ ad formam accidentalem ab eadem Sess. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim. præscriptam pertinent, prævis denuntiationibus contrahatur. Unde, sicut testium & parochi præsentiam, sic & hujusmodi denuntiationes remitti ab Episcopo non posse, existimat Zerola Prax. Episcop. p. 1. V. Matrimonium; quod his quoque remissis matrimonium non contrahatur, Servatâ formâ Concilii Tridentini. Sed melius negant cit. Sanchez n. 19. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 42. n. 14. quod, an denuntiationes remittendæ sint, Concilium illud relinquat prudentiæ & judicio Ordinariorum; atque idcirco, his illas ex justa causa remittentibus, non recedatur à præscripto seu forma Concilii, statuentis; ut denuntiationes præ-

nes præmittantur, nisi Ordinarius dispenset. Quin matrimonium, denuntiationibus non remissis, & sine iustâ causa omiſſis, coram parochio tamen & testibus contractum validum fore, cum *cit.* Sanchez *n.* 19, rectè docent Perez *cit.* *f.* 2. *n.* 12. & Corradus *cap.* 7. *n.* 19, quòd, cum formam Tridentini servandâ, ipſo Jure inſit, licet non exprimatur, & non aliò modò, quam inest, literis Apostolicis exprimitur, sicut non expressa, sic & expressa inducat formam solum accidentalem, cujus non remissâ sine iusta causa facta omiſſio culpam quidem, non etiam matrimonii nullitatem inducit; cum, quæ Jure inſunt, non aliò, quàm inſunt, modò expressa neque novam formam inducant neque actum efficiant conditionalem, *arg. l. Cum quid 3. ff. Si certum petat. §. l. Conditiones 99. ff. de Condit. & demonstr.* sed solum admonitio quædam sint, ut observetur forma Juris communis, Glossa in Clement. 1. de Offic. deleg. V. Repererit. ubi Imola *n.* 20, & in c. fin. de Presumpt. Panormit. *n.* 10. Felinus *n.* 29. Navarrus Manual. *cap.* 27. *n.* 37. & Covarruvias in c. Alma p. 1. §. 9. *n.* 8.

147. Undecima, Prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiandò: quæ clausula licet non adderetur, proles tamè, tanquam suscepta ex matrimonio verè iusto, legitima foret; cum præviâ dispensatione super impedimento initum matrimonium in utroque foro esse legitimum, res sit omnino explorata. Si proles suscepta fuisset ante impetratam super impedimento dispensationem, huic insertæ prædictæ clausulæ vi quoad sola spiritualia legitima foret. Si suscepta fuisset ex matrimonio, ante obtentam dispensationem invalidè inito, multùm interest, an matrimonium mala fide aut denuntiationibus sine remissione aliâve iusta causa o-

missis, vel contrahentium utriusque alterius saltem fide bona fuerit contractum; posteriori enim hòc casu prolem, dispensatione etiam seclusâ, legitimam esse, liquet ex decisionibus c. Cum inter 2. & c. Ex tenore 14. Qui fil. legit. Priori verò casu ea, ex natalibus suis spuria, propositæ clausulæ dispensationi insertæ vi legitima foret quoad sola spiritualia; nisi Papa in matrimonii nulliter contracti radice, vel cum subditis jurisdictioni ipsius temporali subiectis dispensaret, *cit.* Sanchez *n.* 23. & Filiucius p. 2. Tract. & cap. 10. *n.* 363. §. Octava, ut ad sequentem Rubricam plenius tradetur.

Præter relatas aliæ clausulæ aliis dispensationum matrimonialium literis Apostolicis inferuntur, ex quibus notatæ digniores, & hòc locò prætermittendæ non sunt.

Duodecima, Ex certis rationabilibus causis eorum animum moventibus: cujus clausulæ literis Apostolicis insertæ discussione executori superlegendum, jam monui *n.* 89. non obstantè clausula Te diligenter informes; quia ista ad impedimentum, super quo dispensatio est impetrata, & ad reliqua in ejusmodi literis specificè narrata referenda est, *cit.* Sanchez *disp.* 35. *n.* 24. & Corradus Lib. 7. *cap.* 2. *n.* 114.

Decima tertia, Quod ipsi honesti, nobilibes, sive ex nobili genere procreati, principales loci vel de populi principatibus sint: cujusmodi qualitas si non simpliciter mere narrativè & in principio: sed in corpore Supplicationis & ad hanc redditi rescripti Apostolici, tanquam motivum seu causa ad dispensationem concedendam movens, specificè vel genericè allegata sit, exprimitur per verba, Ut asserunt, Ut asseritis, vel Asserentes se nobiles &c. & coram executore probanda est, *arg. l. Omnes 2. C. de His, qui ven. arat. cit.* Sanchez



Sanchez *disp.* 35. n. 25. & Corradus *cap.* 2. n. 118. Dicitur autem honestus, qui honestè ac decenter vivit, cuiusque familia nullâ turpitudinis notâ seu vitio laborat, Isidorus *Lib. 2. Etymolog.* Nobilis simpliciter, qui vivit nobiliter sive abstinet ab his, quæ populares solent: & exercet ea, quæ pertinent ad nobilitatem. De nobili genere procreatus, cujus majores aut saltem parentes nobiles fuerunt, Principalis loci, qui in isto vel populo auctoritate, potentiâ, opibus excellit, *citt.* Sanchez *disp.* 19. n. 6. & Corradus *à n.* 18. *cit.*

150. Decimaquarta, *Dummodo ipsi pauperes & miserabiles existant, & ex sua labore & industria tantum vivant:* cujus clausulæ & dispensationis *In forma pauperum* impetratæ, ultra nuptialis impedimenti remotionem, quam *in forma Ordinaria* concessa dispensatio causat, specialis effectus est liberatio à solutione compositionis, sive certæ quantitatis pecuniæ, in quibusdam impedimentis exhibendæ Officialibus Curie Romanæ.

151. Pauperes autem & miserabiles quoniam verè sint, licet prudenti arbitrio æstimandum sit, ab aliquibus tamen dicuntur, qui in bonis 50. aureos non habent, juxta *l. Nonnulli 10. ff. de Accusat.* Tuschus *Practic. V. Pauper, conclus. 160.* & Vincent. de Justis *Lib. 1. cap. 7. n. 71.* Ad effectum dispensationis *In forma pauperum* impetrandæ tales sunt & habentur, qui ultra sustentationem statui suo convenientem non habent, ex quo compositionem sive Curie Romanæ Officialium jura solvant. Ab aliis verò ad hunc effectum pauperes censentur femina, quæ dotem tantam non habet, quanta ad nubendum viro æqualis conditionis extra propriam cognationem vel affinitatem exigere solet: vir autem, cujus patrimonii

substantia tanta non est; ut æqualis conditionis uxorem, inter quam & ipsum nuptiale impedimentum non intercedat, facile non reperiat, ut ad mentem Riccii *Prax. aurea Tom. 1. decis. 228. n. 8.* tradunt Hurtadus de *Matrim. disp. 16. diff. 3. n. 11.* & Gobat *Experient. Tract. 9. a n. 656. ad n. 658. finem* notans, in diocesi Constantiensi ex antiqua consuetudine ad dispensationis in forma pauperum & gratis impetrandæ effectum pauperes haberi omnes, qui agriculturâ, opificiò vel arte, etiam liberali, ut pictorum & pharmacopolarum etiam est, se & familiam alunt: ut propterea miserabiles sive commiseratione & pecuniariæ compositionis remissione digni videantur. Quæ paupertatis & miserabilitatis declaratio proximè accedit ad propositæ clausulæ tenorem; in ea enim verbis, *Dummodo ipsi pauperes & miserabiles existant,* in vim explanationis subjiciuntur, *Et vel Ut ex labore & industria sua tantum vivant:* & labore atque industria seclusis non habeant, unde commodè sustententur. Addit Gobat *661. pro Heluetiis* etiam Nobilibus & Senatoria dignitate claris dispensationes matrimoniales in forma pauperum & gratis concedi ex speciali Curie Apostolicæ favore consuevisse.

Ne autem paupertatis falsò prætextu Curie Officiales sportulis suis facile defraudentur, Oratores pro dispensatione super impedimento nuptiali in forma pauperum impetranda supplicantes se pauperes ac miserabiles esse, ut ex labore & industria sua tantum vivant, proprii parochi attestations & duorum vel trium testium fide dignorum coram Episcopi Officiario seu Vicario generali legitime examinatorum depositionibus ad urbem transmissis fidem Curie Apostolicæ faciendam, secundum *Instructionem* ab eadem Anno 1658. & postea 1671. die

6. *Ob. transmissam & formam relatam à Corrado cit. cap. 5. n. 18.*

### ARTICULUS IX.

## De Forma & Clausulis Dispensationis Matrimonialis pro foro Interno.

### SUMMARIUM.

152. *Hujus litera expediuntur nomine Majoris Penitentiarij.*  
 153. *Earum forma.*  
 154. *Et clausula I. continens persona delegata qualitates.*  
 155. *II. Nobis oblata petitio continebat.*  
 156. *III. Committimus, quatenus si ita est.*  
 157. *IV. Auditâ prius Sacramentali Confessione.*  
 158. *V. Sublatâ occasione amplius peccandi &c.*  
 159. *VI. A quibuslibet censuris, quas propter præmissa incurrit, absolvas.*  
 160. *VII. Injunctâ pro tam gravi excessu pœnitentiâ salutari.*  
 161. *VIII. Et aliis, quæ de jure injungenda fuerint.*  
 162. *IX. Aliudque Canonicum non obstat.*  
 163. *X. Muliere de nullitate prioris consensûs certiorata.*  
 164. *XI. Ut matrimonium secretè contrahere valeant.*  
 165. *XII. Prolem susceptam & suscipiendam legitimam decernendô,*  
 166. *In foro Conscientiæ tantum.*

167. *XIII. Præsentibus laceratis vel inaniatis.*

168. *XIV. Gratis ubique.*

**D**ispensationes, quæ super impedimentis conjugiorum occultis pro foro Conscientiæ interno à S. Penitentiaria impetrantur, non, ut quæ à Dataria seu Cancellaria Apostolica obtinentur, ipsius Summi Pontificis, sed majoris ejus Penitentiarii, qui S. R. E. Cardinalis est, nomine expediuntur, & hodie non iisdem, quibus olim, clausulis committi solent, ut ex recentioribus, quas exempli & declarationis gratiâ subijcio, literis cum antiquarum, quas Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 34. n. 1.* refert, tenore collatis patet, & ostendit Gobat *Quariorij Tractatu 5. à n. 142.* Recentiores ergo ac modernæ sacre Penitentiariæ literæ, Supplicationi, supra n. 128, propositæ respondentes, ita habent.

*Leander miseratione divina Tituli S. Maria Angelorum S. R. E. Cardinalis, Discreto viro Confessori, Magistro in Theologia vel Decretorum Doctori ex approbatione ab Ordinario per latorem præsentium ad infra scripta specialiter eligendô, salutem in Domino.* Ex parte viri latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse aliàs matrimonium publicè in facie Ecclesiæ contraxit & successivè consummavit cum muliere, cujus matrem antea carnaliter cognoverat. Cùm autem, sicut eadem petitio subijungebat, dictus lator ob impedimentum ex præmissis proveniens, quod occultum est, in dicto matrimonio remanere nequeat absque scilicet Apostolica dispensatione, ad evitanda scandala, quæ si divortium fieret inter se & dictam mulierem exorirentur, ac pro sua Conscientiâ quiete cupit à præmissis, de quibus plurimum dolet, absolvi, scilicet que dicitur.

que desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter, ut sibi super his de opportuno remedio provideri dignaremur. Nos igitur, qui Penitentiaria Domini P.P. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati Autoritate Apostolica specialiter Nobis concessa discretioni tue committimus, quatenus, si est ita, dictum latorem auditâ prius ejus Sacramentali Confessione, ac sublatâ occasione amplius peccandi cum dicta mulieris matre, à quibusvis sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, incestu & excessibus hujusmodi absolutas hâc vice in forma Ecclesie consueta, injunctâ ei pro tam enormi libidinis excessu gravi penitentiâ salutarî & confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum & alijs injunctis, qua de jure fuerint injungenda, Demum dummodo impedimentum præfatum occultum sit, & separatio inter latorem & dictam mulierem fieri non possit absque scandalo & ex cohabitatione de incontinentia probabiliter rimendum sit, aliudque canonicum non obstet, cum eodem latore, ut, dicta muliere de nullitate prioris consensûs certiorata, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eadem muliere & uterque inter se de novo, secretè ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus, contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeat misericorditer dispenses. Prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientie & in ipso actu Sacramentalis confessionis tantum, & non aliter nec ullò aliò modò; Ita quòd hujusmodi absolutio & dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur, nullis super his rebus adhibitis seu literis datis seu processibus confectis, sed præsentibus laceratis, quas sub pœna excommunicati-

onis lata sententia lacerare teneris ita, ut nullum illarum exemplar extet, neque eas latori restituas. Quòd si restitueris nihil eis presentes litera suffragentur. Datum Romæ.

Harum itaque sacræ Penitentiariæ literarum dispensationis super impedimento affinitatis, ex copula fornicaria provenientis, commissionem continentium

Clausula prima, *Discreto viro Sc.* 154  
 continet qualitates personæ delegatæ sive illarum executoris: qui esse debet Magister in Theologia vel Decretorum sive Juris Canonici Doctor, juxta dicta *Lib. 1. tit. 3. à n. 159.* Secundò, pro excipiendis penitentium confessionibus ab Ordinario diocesano approbatus, & Tertio ab Oratore sive eo, qui literas dispensationis impetrat, ad earum executionem sive dispensationis actum specialiter electus. Qui si literas exequi ex quacunque causa renuat, vel ob nimium in literarum interpretatione rigorem displiceat, eò relicto alium pro executione adiri ab Oratore posse, cum *cit. Sanchez disp. 27. n. 40.* hac in re notabile discrimen inter utriusque fori executores statuente, docent *Diana p. 8. tract. 3. resol. 104. & Perez disp. 48. de Matrim. s. 5. n. 7.* quod in Confessoris electione variatio Oratori in dispensationis literis non prohibeatur, & penitenti in alijs confessionibus permittatur.

Quantumvis autem Privilegiò Apostolicò, quò Societatem JESU munitam *cit. tit. 3. n. 159.* dictum est, & speciali commissione seclusis, dictarum qualitarum aliquâ carentis executio ex eaque secutæ nuptiæ ipsò jure invalidæ sint: & propterea, cum v.g. gradu Doctoreo insignis commodè haberi nequit, vel Orator erga personam eò carentem ex speciali ratione magis afficitur, ut tali commissio fiat, in Supplicatione ad sacram Penitentiarum

tiariam directa peti, necesse sit, executionis ramentum & hanc fecutorum nuptiarum valori non officit personæ prædictis qualitatibus prædictæ ruditas: dummodo literarum tenorem in executione observet, Perez *f. cit. n. 6.*

155. Secunda clausula, *Nobis oblata petitio continebat* &c. continentur causæ dispensationis, scilicet impedimentum affinitatis ex copula fornicaria provenientis, quæ an contracta, & copula, sicut ad contrahendam affinitatem requiritur, perfecta præcesserit, explorare executor debet; quod, si talis non præcesserit, impedimentum eâ non sit inductum, neque opus ulla dispensatione, *cit. Gobat n. 168.*

156. Tertia, *Discretionem tuam committimus, quatenus si ita est*, hoc est, si matrimonium in facie Ecclesiæ contractum, si impedimentum ut præfertur occultum, si scandalum ex separatione fecutorum timeatur, Oratore super iis examinato, executor reperit, *cit. Sanchez disp. 34. n. 20. & Gobat n. 168.*

157. Quarta, *Auditâ prius ejus Sacramentali confessione*; licet enim ista olim ad dispensationis valorem necessaria non fuerit, ex mente *cit. Sanchez n. 29. Perez f. 5. n. 13. & Gobat n. 176.* relatarum tamen aliarumque literarum modernarum vigore eam prætermitti non posse, si non liqueret ex proposito clausula, indubitatum esset ex Verbis, *Prolem legitimam decernendâ in foro conscientie & in ipso actu Sacramentalis confessionis tantum, & non aliter nec ullâ aliâ modâ.*

158. Quinta, *Sublatâ occasione amplius peccandi cum dictâ mulieris matre*: qualis occasio censeretur habitatio in iisdem ædibus cum viro; non quidem, si mater putativô matrimonio inter virum & ipsius filiam constante à carnali cum illo commercio omnique alia turpitudine ab-

stinuisset: sed, si cum illo filia jam copulato turpes actus exercere non desistisset; hoc enim casu ante factam matris separationem, itaque sublatam peccandi occasionem, ad matrimonium cum filia contrahendum, vel quod ante contractum fuit, ratificandum, dispensationem executori non permissam, imò invalidam fore, censet *cit. Gobat n. 190.* quod occasionem peccandi moralem & proximam, ut tali casu cohabitatio est, non deserens, sicut ad Sacramentalem absolutionem ritè suscipiendam indispotus, sic indignus sit, quocum ad contrahendum vel ratificandum matrimonium dispenseretur.

Sexta, *A quibusvis sententijs, censuris ac penis Ecclesiasticis, quas propter præmissa, incestum vel incestuosas nuptias, quomodolibet sive à jure sive ab hominibus incurrit, absolvas hæc vice*, id est, hæc vice ac tempore, quò super impedimento cum eo dispensabis, *in forma Ecclesiæ consuetâ*, eâ scilicet, quâ Ecclesia in absolutione sive à censuris sive à peccatis uti consuevit, Bonacina *disp. 1. de L. 4. & p. 2. n. 19. & cit. Gobat n. 207.*

Septima, *Injunctâ pro tam enormi libidinis excessu gravi penitentia salutari*, confessione scilicet Sacramentali mensura, orationibus, elemosynis, jeuniis aliisque corporis afflictationibus & spiritualibus operibus: non quidem, si excessum illum per confessionem jam expiavit, sed, si eum confessus & Sacramentaliter absolutus non fuit, *cit. Gobat n. 208.* qui tamen & rectè, hoc etiam casu poenitentiam minui posse, censet, si excessus ille semel duntaxat aut raro commissus, eumve poenitens cum magna contritione confessus, aut gravis poenitentia operibus peragendis suâ sponte deditus esset, aut Jubilæi vel plenariorum Indulgentiarum aliarum tempus illius mitigationem suaderent, quòd ex quacunque hu-

que hujusmodi causa pœnitentiam minere Ecclesia ipsa solita sit.

161. Octava, *Et alijs injunctis, quæ de jure fuerint injungenda*: quæ clausulæ denotantur ea, quæ præter salutarem pœnitentiam ab Oratore præstanda & aliò titulò debita sunt; ut restitutio bonorum injustè detentorum, satisfactio pro injuria, honoris aut famæ læsione illata &c. quorum tamen injunctio, licet ab executore nequaquam prætermittenda sit, omiſsa tamen non inducit nullitatem dispensationis; quòd sit res ab ista & impedimento nuptiali omnino diversa & independens, *cit. Gobat n. 228.*

162. Nona, *Aliudve Canonicum non obstat*; quia dispensatio respondet precibus, & illud solummodo impedimentum, super quo petita est, tollit, *arg. c. Interdictos 6. §. Ceterum, de Fide Instrum.* ac proinde, impetrata super affinitate, cognationis naturalis vel spiritualis, criminis, voti impedimenta non afficit, & horum aliquò ligato ad matrimonium contrahendum non proficit: nisi super tali etiam impedimento petita sit & impetrata, *cit. Gobat n. 238.*

163. Decima, *Dicitur muliere de nullitate prioris consensûs certiorata, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur*: de cujus certiorationis necessitate modòque à n. 180. plenius agetur.

164. Undecima, *Ut matrimonium cum dicta muliere secretè, hoc est, sine parocho & testibus contrahere valeat. Qua de re actum est Tit. 3. à n. 33.*

165. Duodecima, *Prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendò in foro Conscientie tantùm*: cujus clausulæ vis varia est pro casuum varietate. Et primò quidem, si ex matrimonio putativo, præviis denuntiacionibus in Ecclesie facie contracto, sive ante sive post dispensationem super impedi-

mento, à viro v.g. obtentâ, susceptæ prolis mater impedimentum ignoravit, bonam matris fidem proli quoad natalium justitiam in utroque foro suffragari, liquet ex *c. Cum inter 2. §. c. Ex tenore 14. Quæ fil. legitimi & ad hanc Rubricam tradendis* Secundò, si proles ex matrimonio, invalidè & contrahentium utriusque impedimenti notitiam habentis mala fide in-

nito, suscepta sit, vi propositæ clausulæ dispensationi insertæ proles quoad sola spiritualia & in solo conscientie foro legitima evadit; quòd, cum à S. Pœnitentiaria pro foro interno super occultis impedimentis concessæ dispensationes non sint in matrimonii nulliter contracti radice, ut *cit. Sanchez disp. 7. n. 23.* ostendit, sola spiritualia afficiant, & afficere extra temporale territorium Papæ possint, per tradenda *ad Rubr. sequentem.* Tertiò, si proles ante hujusmodi parentum matrimonium suscepta sit, vi dispensationis super impedimento cum prædicta clausula concessæ & secuto matrimonio, quoad sola spiritualia & in solo Conscientie foro legitima erit; quòd, cum tali casu nullum matrimonium præceſſerit, dispensatio nec sit nec esse valeat in radice: & ut dictum, Papa extra territorium suum temporale quoad sola spiritualia valeat legitimare. *Matrimonio*, inquam, *securo*; cum enim tali casu proles legitimetur in favorem matrimonii, & accessorie ad hoc secuturum, ab isto pendet; ut, nuptiis ex quacunque causa non secutis, antè susceptæ prolis legitimatione impediatur, *cit. Sanchez n. 15. & Perez Disp. 48. de Matrim. f. 6. n. 11.* Quartò, si proles suscepta aut saltem nata sit post matrimonium, dispensationis vigore jam contractum, quoad spiritualia simul & temporalia & in foro tantùm conscientie legitima erit: etiamsi legitimationis prolis suscipiendæ mentio facta non sit in

R r literis

literis dispensationis. Ratio perspicua est; quod ex matrimonio in eo foro verè legitimo sit procreata, *citt. Sanchez disp. 34. n. 47. & Perez s. 6. n. 10.*

Quare si impedimentum, super quo dispensatio à sacra Pœnitentiaria commissa, & à commissario expedita est, occultum esse desineret, & quomodocumque publicum evaderet, ad evitandum scandalum, si quod ex conjugio, ejusmodi dispensationis vigore contracto, oriretur, conjugium declarari nullum, & qui eò copulati & in foro Conscientiæ veri conjuges sunt, à cohabitatione separari autoritate ordinariâ possent ac deberent: donec dispensatione à Dataria impetratâ legitimi conjuges evadant in foro externo. Ratio est; quod in externo sive judiciario foro à S. Pœnitentiaria antè impetrata dispensatio contrahentibus eorumque prolibus nullatenus suffragetur, ut cum Navarro *Consil. 2. de Judiciis* observat laudatus Sanchez *Lib. 3. disp. 15. n. 15. & 17.*

267. Decima tertia, *Sed presentibus* dispensationis literis *laceratis vel laniatis*; neque enim solum ulli testes non adhibendi, factæq; dispensationis non danda attestatio, & non restituendæ Oratori literæ: sed hæ lacerandæ, comburendæ, scindendæ vel remotione sigilli, lituræ, cancellatione aliòve quovis modò corrumpendæ sunt; ut ulli usui præsertim in foro externo esse non possint. Quodsi literas Oratori restitueret, huic in foro externo nihil prodesse: & si executor eas dictò modò non laniatas vel corruptas, sed integras adservaret, graviter peccaret & lata sententiæ incurreret excommunicationem, *citt. Sanchez disp. 34. n. 40. & Gobat n. 275. postquam n. 267. cum Filucio Tract. 10. p. 2. cap. 10. n. 357. adnotasset, literas illas ita laniatas ad usum aliquem materialem penes se retinere executores non prohiberi,*

Decima quarta, *Gratis ubique*; vi cuius literarum tergo appositæ clausulæ sacrae Pœnitentiariæ Officiales & delegati sive illarum executores quidquam in laboris compensationem & signum etiam gratitudinis exigere & sponte oblatum admittere prohibentur, *citt. Sanchez n. 64. & Gobat n. 280.*

### ARTICULUS X.

## De Matrimonii invalidè contracti Ratificatione.

### SUMMARIUM.

- 169. *Causa Nullitatis matrimonij:*
- 170. *Quod ratificandum est consensu novo,*
- 171. *Eoque non merè interno:*
- 172. *Sed externo,*
- 173. *Saltem unius, si nullitatis causa est impedimentum:*
- 174. *Imò utriusque conjugis existimati,*
- 175. *Sententia DD tali casu non exigentium nullitatis scientiam:*
- 176. *Et hanc requirentium,*
- 177. *Sèque fundantium in praxi Ecclesiæ,*
- 178. *Et ratione.*
- 179. *Conjugium non ratificatur solo ipsius usu.*
- 180. *Nullitatis causa notitia necessaria non est.*
- 181. *Matrimonium solum Ec. unius consensu ratificari, quidam volunt:*
- 182. *Et moventur ratione,*
- 183. *Paritate cum professione Religiosa,*
- 184. *Et decisionibus Juris.*
- 185. *Utriusque consensum & nullitatis scientiam exigunt alij.*

186. *Sua.*

186. *Suadentque Elementis VIII. Responsio,*  
 187. *Ratione satis efficaci,*  
 188. *Et congrua explanatione Jurium, in contrarium allegatorum.*  
 189. *Autoris de matrimonij ratificatione sensus,*  
 190. *Et de opposita sententia judicium.*  
 191. *Praxis.*  
 192. *Et salubre consilium P. Gobat.*

169. **M**atrimonium invalidum nullumque esse potest, vel; quod persona propter intercedens inter ipsas impedimentum dirimens, ad id contrahendum fuerint inhabiles: vel propter defectum consensus, in utroque vel altero tantum; quod ejus in matrimonium consensus simulatus fictusque, vel praestitus errore circa substantiam sive individuum personae, aut ejus conditionem: vel demum vi metue injusto, & ad conjugium extorquendum aut etiam alio sine incusso, fuerit extortus.

170. Ex utraque harum causarum matrimonij nullitas proveniat, ad ejus ratificationem revalidationemque contrahentium saltem unius, ejus scilicet, qui impedimenti praexistens & per dispensationem jam sublata notitiam habet: vel, cujus prior consensus legitimus non fuit, novo consensu opus esse, hodie facile consentiunt plerique alicujus nominis Doctores.

171. An autem sufficiat hujusmodi consensus novus merè internus, dubitandi ratio est; quod ad matrimonij substantiam is solus pertinere videatur, ex scripto Innocentii III. c. Tua 25. de Sponsal. & Matr. ubi summus hic Pontifex disertè, *Matrimonium, inquit, in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum: sed necessaria sunt quan-*

*tum ad Ecclesiam) verba, consensum exprimentia de presenti.* Cui decisioni vel maxime locus est in matrimonio nullo solummodo propter defectum veri consensus; cum enim istius nullitas, non ex verborum aliorumve signorum externorum, sed ex interni duntaxat consensus defectu oriatur, isto absque ullo signo externo in animo renovato, non desiderari videtur aliquid ad matrimonium constituendum requisitum.

Sed hoc levius est, quam ut externi consensus, sicut ad matrimonialis contractus, sic etiam ad ejus invalide celebrati revalidationis substantiam pertinere, dubium reddere queat, cum; quia c. cit. solummodo deciditur, certa & formalia verba necessaria esse ad matrimonij initi faciliorem probationem: & non, sicut ad caeterorum Sacramentorum, sic etiam ad matrimonij substantiam pertinere; cum consensus quibuscunque verbis: imò non verbis tantum formalibus, sed & virtualibus per scripturam, nutus aliisque signa aut facta externa exprimi sufficienter possit: imò ita necessario exprimi debeat à mutis, c. cit. V. Nam & muti: tum verò; quia postea secutus consensus internus non manifestatur per verba aliave signa externa, prius posita, & falso exprimentia consensum internum, eliciendum tempore matrimonij invalide contracti; ac proinde hæc illum non reddunt matrimoniale.

Cæterum, legitimum consensum matrimonialem exterius exprimendum, cum D. Thoma in 4. dist. 40. art. 4. Scoto in 4. dist. 33. q. unica, Sylvestro V. Matrimonium 8. q. 2. d. 6. & Navarro Manual. cap. 12. n. 47. & 80. magno consensu defendunt præcipui nominis TT. ac JCT. & satis clarè tradit Alexander III. c. Licet 3. de Sponsa duor. ubi eò matrimonium induci asserit, *Si unus alterum in suo mat-*

R 2

suo con-

no consensu verbis consuetis expressè recipiat, utroque dicente, *Ego accipio te in meam, & Ego accipio te in meum*, & discretissimè S. Augustinus, sub eadem Rubrica relatus c. 1. in cuius fine, *Fidem consensùs conjugalis esse*, ait, *quando corde & ore consentit ducere, & mutuo se concedunt unus alij & mutuo se suscipiunt*. Ratio est; quia matrimonium est contractus humanus, qui solà mente celebrari non potest, sed necessariò exigit signum externum, quò se mutuo tradentium & recipientium consensus manifestentur: ejusque contractus inter Fideles celebratus, à Christo Domino elevatus est ad dignitatem Sacramenti, attestantibus S. Paulo ad Ephes. cap. 5. v. 32. S. Augustino de Bono Conjug. cap. 4. Innocent. III. c. *Debitum* 5. de *Bigamis*, & demum S. Synodò Tridentinà Sess. 24. can. 1. de *Sacram. Matrim.* id definiente: Sacramentum autem, signum sensibile gratiæ sanctificantis esse, dicitur cum Magistro Sent. in 4. dist. 1. & S. Thoma 3. p. q. 6. art. 2. & 3.

173. Dubium magis arduum &, sicut momenti maximi, sic resolutionis difficillimæ controversia est, an consensu etiam externo faciendæ conjugii ratificatio revalidatiòque exigat novum consensum utriusque: vel sufficiat hunc renovari ab eo solo, qui impedimenti præexistens & per dispensationem sublatis notitiam habet, vel cujus consensus prior legitimus non fuit.

Et ex priori quidem causa, sive ex occulto impedimento dirimente, si matrimonii nullitas proveniat, illò per dispensationem sublato, ejus duntaxat, qui illius notitiam habet, consensum sufficere, aliqui sustinent, à Sanchez Lib. 2. de *Matrim. disp.* 25. n. 1. suppressis nominibus relati, & pro se allegantes textus Juris utriusque. Imperialis quidem;

quòd istò ejusmodi conjugia, sublato impedimento, solà alterius in pristino consensu perseverantià convalerant. *l. si quis 27. §. 1. Eos qui 65. ff. de Ritu Nupt.* cuius §. 1. Pauli JCT. sententia est, *Post depositum Officium*, istiusque depositione sublato impedimentum, si in eadem voluntate perseverat, *justas nuptias effici*. Ecclesiastici verò c. *Proposuit* 2. & c. *fin. de Conjug. servor.* ex quorum textuum dispositione, cum ancillà ignoranter initum conjugium ratificatur, quando ingenuus, servili illius conditione cognitus, verbò aut factò, puta ad eam affectu conjugali accedendò, consenserit. Id ipsum suadent ratione; quia primus in matrimonium consensus fuit conjugalis; cum eò contrahentium uterque alteri se tradiderit & vicissim alterum acceperit in suum vel suam, juxta c. *Si inter 31. de Sponsal. & Matr.* & c. 1. de *Sponsa duor.* & moraliter perseverat, donec revocetur, arg. c. *fin. de Procurat. in 6. §. 1. ff. de V. O.* ac proinde, cum impedimentò per viam dispensationis sublato, uterque habilis sit, matrimonium prius initum convalescit; dummodo consensum renovet is, qui concius est impedimenti: & qui hoc ignorat, prius præstitum consensum non revocàrit.

Sed ratio ista, si aliquid, nimium probat; quia eò casu, quò primò præstitus consensus revocatus non est, matrimonium, sicut sine ignorantis, sic etiam sine ejus, cui impedimentum detectum est, novo consensu convalescere vincit; cum eò ipsò; quòd primus consensus conjugalis, & non revocatus sit, sicut in uno, sic & in altero perseveret; ac proinde ipsius in habile, sive sublatis impedimenti tempus perseverantià conjugium, quod à principio nullum fuit, ratificari & convalescere sit necesse.

Quare meritò ad conjugii revalidationem



tionem novum utriusque consensus, cum D. Thoma in 4. dist. 40. q. unica, art. 4. Innocentio in e. 1. de eo, qui duxit in matrim. Sc. n. 1. Alex de Nevo in e. cit. n. 15. exigunt Sylvester V. Matrimonium 6. q. 5. d. 2. Navarrus Manual. cap. 22. n. 47. & 80. Covarruv. p. 2. de Sponsal. cap. 4. pr. n. 5. Gutierrez de Matrim. cap. 47. n. 5. cit. Sanchez Lib. 2. disp. 35. n. 2. eosque passim secuti RR. Rationem hi DD. reddunt; quod contrahentium utriusque consensus primus, tanquam mutua traditio & acceptatio personæ de jure inhabilis, ipso jure fuerit nullus, & non verè conjugalis: & propterea conjugalis consensus moraliter perseverare dici non possit; cum perseverantia existentiam supponat; eamque ob causam, ut matrimonium inducatur, consensus conjugalis necessariò renovandus sit à contrahentium utroque. Unde corrui in contrarium allata ratio.

Non magis urgent Textus. Juris quidem Civilis; quia *U. cit.* à laudatis Covarruvia & Sanchez n. 5. explicantur de perseverantia in eadem voluntate, per supervenientem copulam affectu conjugali habitam aut alia signa externa, de novo expressa. Canonici autem; quia detecta & sublatà alterius conditione servili, ut matrimonium inducatur, consensus utriusque verbò aut factò renovandum, volunt idem Sanchez disp. 36. n. 10. & Pontius Lib. 4. de Matrim. cap. 24. n. 1.

175. An autem, ut istà mutui consensus renovatione matrimonium revalidetur, necessarium sit, ut priùs initi nullitas utriusque innotescat, maxima inter *citt.* aliosque DD. dissensio est; hoc enim minime necessarium: sed sufficere, quòd impedimenti per dispensationem sublato consensu ab altero, id ignorante, petat;

ut se in conjugem de novo recipiat, & annuentem vicissim ipse in conjugem recipiat: séque ita sibi mutuò tradant, cum Innocent. *cit.* n. 1. & nonnullis aliis eum secutis, voluerunt Sotus in 4. dist. 28. q. 1. art. 2. concl. 3. & disp. 29. q. 2. art. 1. Rodriguez Tom. 1. Summa cap. 220. n. 2. & Henriquez Lib. 11. cap. 3. n. 6. Ratio, quâ moventur, præcipua est; quòd sublatò impedimentò sint personæ habiles ad matrimonium contrahendum; ac proinde ejusmodi mutuò consensu de præsentì positò verè conjuges evadant: sicut, si ejusmodi impedimentò, alteri post sponsalia de futuro in nita detectò & per dispensationem sublatò, ita consentiant. Quòd posteriori modò: imò etiam (ante Tridentinum, & hodie in locis, in quibus istius S. Synodi decreta Reformatoria non publicata, aut usu recepta non sunt) subsecutà copulâ carnali, veri conjuges fiunt, per text. *c. Veniens 15. & c. Is qui fidem 30. de Sponsal. & Matrim.* quòd ex hujusmodi copula, inter personas ad matrimonium habiles & sponsalibus jam obligatas subsecutà, consensus conjugalis præsumatur.

Oppositam huic sententiam defendunt: & ut consensus renovatione matrimonium convalescat, priùs, initi nullitatem (non etiam istius causam) utriusque aperiendam, cum Sylvestro V. Matrimonium 8. q. 2. d. 2. Navarro cap. cit. n. 33. Abulenfi in Lib. 1. Reg. 8. q. 36. & aliis præcipui nominis DD. in suis Tract. de Matrimonio docent Gutierrez cap. 47. à n. 4. Sanchez disp. 36. n. 3. Pontius *cit.* Lib. 4. cap. 25. à n. 4. Co ninck disp. 24. dub. 10. n. 90. Tamburinus Lib. 9. Tract. 4. cap. 7. §. 2. n. 3. & Hurtad. disp. 3. difficult. 10. à n. 37. & Palao Tract. 28. disp. 2. p. 7. §. 2. n. 3. Quibus favet imprimis diploma Cruciatæ, quòd istius Commissario generali cum

R r 3 iis, qui

his, qui ignoranter in gradu prohibito contraxerunt, dispensandi facultas conceditur & præscribitur; ut hoc fiat *Alterò*, scilicet impedimentum ignorante, prius de nullitate prioris consensûs certificatò. Deinde praxis dispensationum, quæ in hujusmodi casibus à S. Pœnitentiaria hæc formâ concedi solent, *Ut, si visum fuerit, cum latore, ut muliere de nullitate prioris consensûs certioratâ, sed ita cautè, ut latore delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eadem & uterque inter se de novo secretè contrahere valeant, misericorditer dispensetur*, ut patet ex hujusmodi dispensationis formâ relatâ à Gobat *Quinarii Tract. 5. cap. 37 n. 141*. M. Paulo Leone *in Praxi literar. Pœnit. p. 2. cap. 4. pr. & supra n. 153*. Demum responsum Clementis VIII. ad matrimonii, propter defectum consensûs ex parte mulieris (ac proinde etiam propter latens impedimentum) invalidè contracti, ratificationem diserte asserentis, esse necessarium novum consensum utriusque, admonitò marito de matrimonii (quam ignorat) nullitate, ut ex Comitolio *Respons. Moral. Lib. 1. q. 120. refert cit. Pontius cap. 24. n. 4.*

178. Ratione id ipsum suadent; quia renovatio consensûs, ut matrimonium inducat, procedere necessariò debet ex intentione efficiendi matrimonium: matrimonium autem, quod inicit, validum esse existimantis, & de ejus nullitate non ambigentis consensûs ex tali intentione non procedit; cum, hoc ipsò, quòd id antè legitimè contractum credat: & propterea in novum ejus contractum verè non consentiat: sed novo suo consensu solummodo ratificare intendat matrimonium prius initum: quòd, cum nullum sit, ejusmodi consensu ratificari & revalidari non potest. Quam rationem confirmant primò; quia *Nihil volitum, ni-*

*si præcognitum.* Cùm ergo matrimonialis contractûs possibilitas ab hujusmodi conjugè putatio, prius initi nullitatem omnino ignorante, non cognoscatur, id contrahendi voluntatem non habet: sed solummodo ratificandi & perseverandi in eo, quòd prius initum: & quia nullum fuit, sui ratificatione convalescere non potest; quia *Actus agentium ultra eorum intentionem non operantur*, l. *Non omnis 19. pr. ff. Si certum pet.* Confirmant eandem secundò; quia consensui contrarium nihil magis est, quàm error, l. *Si per errorem 15. ff. de Jurisdic. & l. Nihil 116. pr. ff. de R. I.* qui autem novo consensu ratificat matrimonium, quòd credit esse validum, in personam consentit ex errore; quòd eam putet esse suam: & prius initi duntaxat approbationem, non novum matrimonii contractum, sibi possibilem credit; ac proinde in novum matrimonium verè non consentit.

Neque conjugii inducendi vi majori hi DD. pollere volunt ejusmodi novo consensui supervenientem copulam carnalem; quia ex parte ejus, qui matrimonii nullitatem omnino ignorat, etiam ipsa procedit ex errore, quem habet de valore prius initi, & ex intentione eò utendi potiùs, quàm ineundi novum; cujus contractum jam sibi impossibilem credit. Alia ratio & vis est copulæ, de futuro initis sponsalibus, sublatò per dispensationem obstaculo, supervenientis; cum enim, hoc ipsò, quòd præviâ dispensatione personæ ad matrimonium habiles redditræ sint, istius contractus ipsis sit possibilis, si in se mutuo de præfenti verbis, aut etiam factò, sive affectu conjugali se carnaliter cognoscendò (ubi S. Synodi Tridentinæ decreta Reformatoria publicata aut recepta non sunt) consentiunt, matrimonium, quòd sibi possi-

sibi possibile credunt, valide contrahent, & veri conjuges evadent: etsi tales non evadant, quorum alter matrimonium, cujus prius initi nullitatem, & nunc contrahendi possibilitatem nullò modò cognoscit, novo consensu, verbò aut factò expressò, ratum habet.

180. Etsi verò, hæc ita se habere, *citt. DD.* velint, necessarium tamen & consultum etiam non esse, monent; ut conjugum existimato & nullitatis ignaro ipsa istius causa sive impedimentum, præsertim ex crimine ortum, manifestetur: sed satis esse, si is certior fiat de nullitate, juxta relatam formam S. Pœnitentiariæ, *Sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam delegatur*: imò impedimenti concilium dicere ignorantem posse, se non habuisse verum consensum tempore celebrationis; cum is, quem matrimonii contracti tempore habuit, fuerit nullus: nullum autem & non esse, sive nulliter factum & non factum, paria censeantur, *l. Quotiens 6. ff. Qui satisfacere cog. Sanchez cit. disp. 36. n. 7. & Cardenas Crisis Theolog. dissert. 2. cap. 8. art. 13. q. 3. n. 676.*

181. Ex posteriori etiam causa, sive ex defectu consensûs, in altero solum ficti, erronei vel coacti, si matrimonii nullitas orta sit, ad ejus revalidationem minimè necessarium esse novum consensum utriusque: sed ejus duntaxat, qui prius legitime non consensit, novum consensum sufficere, *in c. Dilectus 24. de Spons. & Matr. docent Hostiensis V. Contrario, Joan. Andr. n. 7. Alex. de Nevo n. 18. & ex aliis DD. defendunt Sylvester V. Matrimonium 8. q. 2. d. 6. & q. 11. d. 4. Navarrus Manual. cap. 22. n. 51. & 80. Sanchez cit. Lib. 2. disp. 32. n. 9. Coninck Disp. 24. dub. 10. n. 54. & 90. Laiman. Lib. 5. Tract. 10. p. 2. cap. 6. n. 1. Bossius de Matrim. cap. 2. n. 38. & Tamburinus Lib. 8. Tract. 4. cap. 7. §. 1. n.*

5. & 9. Ratio, quâ nituntur, præcipua est; quòd ex una, licet matrimonialis contractus celebretur mutuo consensu utriusque, *l. Nuptias 30. ff. de R. I. & can. Sufficiat 27. q. 2.* ad eum tamen non necessariò exigatur actualis, sed sufficiat moralis coexistentia consensûs utriusque: ex altera verò parte, consensus alterius ex se fuerit sufficiens ad matrimonium: & quia revocatus non est, moraliter perseveret; ac proinde ad matrimonium inducendum ex parte ipsius nihil: sed solummodo illud desideretur, ut jam verè & liberè consentiat is, cujus prior consensus simulatus, aut non liber, & spontaneus fuit. Quæ ratio, si intentum, etiam id evincit, tali casu opus non esse; ut prius initi matrimonii nullitas manifestetur ei, cujus prior consensus legitimus fuit; cum nullitatis noticia solummodo desideretur, ut renovetur consensus: cujus renovatio, cum non exigatur ex parte ejus, qui initio verè consensit, etiam nullitatis noticia ex parte ejus necessaria non est, ut cum Petr. Soto *Lect. 3. de Matrim. §. Primum igitur, infert cit. Sanchez n. 10.*

182. Quam rationem confirmant paritate matrimonii spiritualis, quòd contrahitur per professionem ab Ecclesia approbatæ Religionis: quæ, cum ob defectum legitimæ ætatis, profitentis errorem, vi metive extortum aut fictum consensum, invalida est, novo & legitimo consensu profitentis convalescit: quantumvis iste non renovetur ex parte Religionis: imò etiam, si ista prius admittæ Professionis nullitatem omnino ignoret, ut minimè obscure colligitur ex *c. Significatum 11. de Regular. & c. 1. §. Quodsi, eadem Rubr. in 6.* quibus textibus ante legitimam ætatem professus suam Professionem ratam habuisse præsumitur annuâ delatione habitûs proprii Professo-

Professorum, & actuum his competentium exercitiò; quin hujusmodi ratificationis acceptatio & nullitatis scientia exigatur ex parte Religionis. Id ipsum clarius defumitur ex decreto Concilii Trident. *Sess. 25. cap. 19. de Regular.* ejusmodi Professionem, quinquenniò ab ejus emissionem exactò, à professo, toto eo tempore non reclamante, ratificatam sic præsumens; ut eum ad allegandas nullitatis causas postea non admittat: & hoc absque novo consensu & nullitatis scientia ex parte Religionis; cum istius, sicut textibus antiqui, sic & novissimi hujus Juris decretò, ne verbò quidem ulla mentio fiat.

184. Eadem ratione, & hæc ipsius confirmatione supposità, consensus, in matrimonium semel præstiti & non revocati, moralis perseverantia apertè supponitur Imprimis *c. fin. de Procurat. in 6.* ex cujus decisione procurator, nomine principalis sui absentis, matrimonium ex intervallo validè contrahit vi mandati & consensus, quamdiu non revocatur, moraliter perseverantis: & contra istò revocatò invalidè; quod mandati revocatione moralis perseverantia tollatur. Deinde *c. Cum inter 21. de Electione*; quò relato Innocentii III. rescriptò, Præpositi Hastensis ad Ecclesiam Saonensem electio, quantumvis ille suum in hanc consensum nondum præstitit, tamen, si in eam consentire velit, confirmari jubetur; quòd majoris & sanioris partis Capituli in ejus personam consensus, utpote non revocatus, adhuc moraliter perseveret; ac proinde memorati Præpositi consensu accedente, spirituale conjugium inter ipsum & Ecclesiam Saonensem contrahatur. Demum confirmatur paritate cum cæteris contractibus, non exigentibus actualem coexistentiam consensus utriusque, sed solum moralem;

cum, si consensui unius actu præterito, sed moraliter adhuc perseveranti, alterius consensus ex intervallo superveniat, perficiantur, *l. 1. §. 1. ff. de V. O.* & inter absentes per nuntium & epistolam contrahi possunt, *l. 1. §. 2. ff. de Contrab. empt. & l. Absenti 10. ff. de Donat.* Quò modò cum, sicut contrahi, *c. fin. cit. §. Sanè*, sic etiam revalidari matrimonium possit, *arg. §. cit. ad ejus*, sicut contractum, ita etiam revalidationem sufficit consensus, ex parte unius moraliter perseverans, hoc est, semel legitime præstitus & non revocatus,

Hæc ita roboratà ratione, etsi eam, pro qua allata est, Opinionem satis probabilem reddi, inficias non eant, ad eam tamen amplectendam non moventur: & propterea ad revalidationem matrimonii, in legitimo consensu deficientis, novum consensum & scientiam etiam nullitatis, cum Felino *in c. Ex parte 33. de Rescript. n. 11.* & ab hoc relatis Ant. de Butrio & Anchorano, exigunt Palacios *in 4. disp. 27. disp. 1.* Barthol. Ledesma *de Matrim. dub. 19.* Comitulus *Lib. 1. Respons. Moral. q. 120.* Pontius *Lib. 4. cap. 24. n. 3.* Hurtado *disp. 3. de Matrim. disp. 9. n. 31.* & Palao *cit. disp. 3. p. 7. §. 1. n. 7.* suam hanc sententiam defuentes ex responso Clementis VIII. allegato *n. 177. 186.* & in proposito casu novè utriusque consensus, admonitò prius maritò de matrimonii nullitate, necessariò, diserte asserentis.

Ratio, quæ hanc suam doctrinam persuadere, unaque partis adversa fundamentum convellere nituntur, potissima est; quòd consensus illius, qui searidò contraxit, moraliter non amplius perseveret; cum ita solum perseveret usque ad tempus, quò verè aut fictè consentit alter, & matrimonium verè aut fictè jam est celebratum; cum postea omnino superfluum judicetur, hoc ipsò; quòd contractus

contractus jam perfectus, eoque mutuum jus in alterius corpus ad ætus conjugales utrique jam plenè sit quæsitum; ac proinde ejus, sicut revocatio nihil obesse, sic perseverantia nihil prodesse posse, rationabiliter & indubitatè existimetur; quia mutui conjugii usus vi juris, ex consensu primò præstito orti potius, quàm ejus consensus morali perseverantiâ procedit, ejusque revocatione non impeditur. Accedit; quòd, licet prior consensus ultra matrimonii, verè aut apparenter contracti, tempus porrigeretur & moraliter perseveraret, tamen hòc ipsò, quòd nullus, etiam insufficientis sit ad matrimonium cum eo, qui primò fictè consenserat, novo & legitimo consensu inducendum; & propterea, ut id inducatur, omnino necessarius sit novus consensus utriusque: consensus autem prior, etiam ex parte sincerè agentis nullus fuit, partim; quia processit ex errore personæ propter defectum voluntatis ad matrimonium contrahendum inhabilis Jure Naturali, ad ejus contractum exigente personas, sicut aliunde non impeditas, sic etiam in eum verè, & non fictè duntaxat. vel coactè, consentientes: partim verò; quòd ferretur in ea, quæ Jure insunt ita, ut eum eliciens, alteri quodammodo dixerit, *Consentio & jus in corpus meum ad individuum vitæ societatem & ætus ad generationem prolis ex se aptos jam tibi trado, ejusque traditionem accepto: si vicissim tu ejusmodi jus jam verè mihi tradas, & à me traditum acceptes.* Quà conditione in eo, qui consensum tantum simulavit, deficiente, defecit & nullus fuit in eam relatus consensus prior; cum deficiente conditione etiam tacitâ id, quod actum est, pro non acto habeatur, per tradita à Tiraquello in *l. Si unquam 8. C. de Revoc. donat. V. Revertatur, n. 277.* & Fla-

minio *Lib. 1. de Resignat. Benef. q. 3. à n. 27.* Quare ad matrimonii, propter defectum consensus in altero, nulliter contracti revalidationem omnino requiri volunt novum consensum utriusque: & ad hunc, ut legitimus sit, notitiam nullitatis matrimonii priùs initi in utroque; cum sine istius notitia eorum consensus ex intentione efficiendi matrimonium non procedat. Ita suam de conjugiorum, ex defectu consensus invalide initorum, revalidatione sententiam hi DD. firman: & pro opposita allatam rationem enervare conantur.

Neque magis, quàm istâ, moventur decisionibus Juris. Et imprimis quidem ex *c. Significatum & c. 1. cit.* textibus & decreto Synodali *cap. 19. cit.* id, quod advertarii intendunt, desumi, haud agrè concedunt: sed negant paritatem inter ratificationem matrimonii & professionis Religiosæ; quia satis luculentum discrimen inter hanc & illud intercedit; cum, licet ex parte etiam Religionis exigatur consensus, & per hunc à professo factæ novæ sui traditionis acceptatio: nullitatis tamen priùs editæ professionis determinata scientia non exigatur; quia Ecclesia, sive summus Pontifex, tanquam supremus & generalis Prælatus omnium Religionum, eum, quoties expressè vel tacitè, hoc est, per habitus delationem vel quinquennalem perseverantiam renovatur, à se acceptari, itaque defectum consensus ex parte Religionis suppleri, *cit.* antiqui Juris textibus & S. Concilii, Apostolicâ auctoritate approbati, decreto abundè declaravit; ut ita Religionum, & has profitentium, paci, tranquillitati & saluti confuleretur, Lessius *Lib. 2. de 1. & 1. cap. 41. n. 66.* & Palao *Tract. 16. disp. 2. p. 5. n. 4.* Quò modò, cum ab Ecclesia & istius capite acceptari consensus &

fus & acceptatio suppleri non possit ex parte conjugis, matrimonii nullitate ignorantis, per tradita *Tit. 1. n. 135.* ex istius parte nov<sup>9</sup> consensus & acceptatio, ad eamque ferè necessaria nullitatis scientia exigetur: licet ea necessaria non sit ad revalidationem Religiosæ professionis, ut cum Petr. de Ledesma *de Matrim. q. 45. art. 3.* agnoscit, oppositæ sententiæ non postremus assertor, Sanchez *Lib. 7. disp. 36. n. 64.*

Deinde ex *e. fin. cit.* pro ejusdem consensus morali perseverantia allegato, aliud non desumi volunt, quàm consensum in matrimonium à principali præstitum, si non revocetur, usque ad tempus, in quod est collatus, sive quò matrimonium vi mandati à procuratore contrahendum est, moraliter perseverare; eùm, si matrimonium illius nomine ab isto contractum, propter impedimentum dirimens occultum, aut veri consensus defectum ex parte sponsæ irritum sit, ad revalidationem novum consensum: & ut iste legitimus sit, nullitatis notitiam exigant ex parte ejus, qui priùs bonâ fide & seriò contraxit.

Deinde *c. Cum inter cit.* Præpositi consensu, ex intervallo superveniente, *Quasi conjugale vinculum* contrahi, vel potiùs secundùm Glossam *ibi, V. Quasi conjugale*, matrimonium spirituale inchoari potuit; quòd majoris & sanioris partis Capituli consensus moraliter quidem perseverarit: non perpetuò, aut etiam donec revocetur; cum scrutiniò, ut *in e. cit.* casu factum erat, jam publicatò, ejus revocationi locus non sit, *e. Publicato 58. de Electione*; sed usque ad tempus, in quod consensum in sui electionem differre de Jure potest, sive quò, eà à superiore confirmatà, spirituale matrimonium est contractum: vel cassatà, ad novam electionem procedere Ca-

pitulum potest, vel Ecclesiæ viduatæ de Pastore aliâ ratione à superiore providetur.

Demum *II.* etiam Imperiales pro consensus, in matrimonium aliquando præstiti, morali perseverantia, donec revocetur, rectè allegari negat; quòd, licet secundùm eas aliquando in cæteris contractibus, hòc ipsò; quod inter absentes iniri obligatio & contrahi valeat, consensus unius moraliter aliquamdiu, scilicet usque ad tempus, quò abfens consentire existimatur: non tamen ita perseveret perpetuò, si non revocetur; cum, ut virtute perseveret & obligatio inducatur, inter contrahentium utriusque consensus, non quancumque, aut etiam longi temporis intervallum admitti, ex *cit. l. 1. §. 1. ff. de Verb. oblig. verbis, Intervallum mediis modici temporis non vitiat obligationem*, ex contrariæ sententiæ assertoribus arguat Sanchez *tit. Lib. 2. disp. 32. n. 7.* Accedit; quòd, quoad consensum, à contractibus merè Politicis & actibus ab humano Jure pendentib<sup>9</sup>, ad matrimonium non semper argumentum duci, clarè desumatur ex *e. fin. cit.* cujus decisione ejusdem sententiæ asseclæ maximè nituntur: & suadeat ratio; quia in cæteris contractibus & actibus defectus legitimi consensus à Jure & potestate humana suppleri: non etiam in matrimonio potest, ut *in e. cit. Barbosa n. 8. & cit. Sanchez disp. 11. n. 6. observant, & supra dictum est Tit. 1. n. 135.*

Ex hæcenus relatis firmatisque DD. de DD. de matrimonii invalidè contracti ratificatione Opinionibus, ultra consona veritati & alteri absolute præferenda sit, statuere difficillimum, & res dignissima est Apostolica decisione. Donec autem istà dubitationi & inter illos invalescenti concertationi finis imponatur, in Theore-

ria sensui Ecclesie & rationi quoque magis conformes in utraque controversie parte cenſeo posteriores, quæ ad conjugii, præſertim propter impedimentum alteri occultum, invalidè initi ratificationem revalidationemque conſensum novum, & ferè etiam nullitatis ſcientiam, aut ſaltem rationabile de ea dubiũ vel ſuſpicionem requirunt. Quas tamen ipſas ita præfero & ſequor, ut oppoſitis prioribus Opinioniſus exiſtimationem probabilitatis, in Theoria etiam, ſalvã eſſe velim, præſertim; cùm novum conſensum & multò magis nullitatis ſcientiam ex parte utriusque non exigant ad revalidationem conjugii invalidi ob defectum conſenſus; quòd iſte in contrahentium altero exterius tantùm ſimulatus, præſtitus errore, vel gravi & iniuſto, præſertim ad matrimonium extorquendum, incuſo metu fuerit extortus.

190. Iſdem priorum, in utraque controversie parte, Opinioniſus aſſertoribus id etiam tribuendum videtur; quòd matrimonium, undecunque invalidum, ſublata cauſa nullitatis, ſine determinata iſtius notitia ratificetur caſu: quò exiſtimatorum conjugum uterque matrimonium ſuum ratum eſſe omni modo volunt; ideòque in eventum, quò priùs initum invalidum; ac proinde, ſi ejus contractus ſibi poſſibilis ſit, novò & ſeriò conſenſu, per verba de præſenti expreſſò, id contrahunt; cùm enim ita ratificari ſine determinata nullitatis ſcientia valeat profeſſio Religioſa, ut cum Leſſio *cit. cap. 41. n. 63. & 66.* & Sanchez *Lib. 7. diſp. 37. n. 65.* advertit Palao *cit. diſp. 2. ſ. 5. n. 3.* & ejusdem invalidæ ratificationem ita antecedenter acceptare, & ex parte Religionis neceſſarium novum conſenſum ſupplere valeat ſummus Pontifex, juxta dicta *cit. n. 135.* cur, ſi, ceſſante impedimento, hujusmodi ſimplicem & in

quemcunque nullitatis caſum ſe extendentem novum conſenſum exiſtimate conjuges de novo & ſeriò ponant, non revalidari valeat conjugium antè invalidè contractum? ut tradit Sanchez *cit. diſp. 35. n. 5.* & pro praxi ſalubriter advertit Patrit. Sporer *de Matrim. cap. 6. ſ. 2. §. 2. n. 4. & §. 6. n. 3.* & ante eum Herincx *de Matrim. diſp. 6. q. 3. n. 33.*

191. Quin aliis etiam caſibus, quibus conjugii, ut aliquando ſceminis, ex nullitatis maanifeſtatione periculum vitæ immineret, infamia, ſuive deſertio, ſuſceptaque proliſ deſtitutio & ſimilia graviffima mala timenda forent, ſententiæ, nullitatis maanifeſtationem ad matrimonium per conſenſus renovationem ratificandum, non exigentis uſum licitum eſſe, cum Sanchez *Lib. 2. diſp. 36. n. 8.* docent Palao *cit. diſp. 3. p. 7. §. 2. n. 4.* Tamburinus *§. 2. n. 7.* Cardenas *n. 976.* & alii; quòd ejusmodi extrema & graviffima neceſſitas cohoneſter uſum Opinioniſus, cui in ordinariis caſibus & circumſtantiis non eſt locus.

192. Pro caſibus, quibus conjugii ſui vaſori obſtans impedimentum conjuges quidem ignorant, ſubefſe autem Confeſſarius advertit, Gobat *Quinarii Tract. 5. cap. 37. n. 28.* matrimonii nullitatem illis non temerè: ſed tum demum aperiendam, monet; cùm eos in conjugio eſſe concordet, ſeque ſincero amore completi animadvertit. Contra, ſi inter eos malè conveniat, & frequentes rixæ intercedant, in bona fide eos potiùs relinquit qui vult, quàm impedimentò, non ſatis cautè, detectò, graviffimis incommodis & ſcandalis anſam dari. Quod ejus conſilium memoratus Patrit. Sporer laudat, & prudentiſſimum vocat *cit. §. 6. n. 4.*

55 (0) 50

55 2

ARTI-

## ARTICULUS XI.

## De Pœnis Matrimonia contrahentium cum Impedimento.

## SUMMARIUM.

193. *Istorum proles illegitima sunt,*  
 194. *Si scienter vel denuntiationibus temerè omiſſis contraxerunt.*  
 195. *Eadem carent ſpe diſpenſationis,*  
 196. *Cùm quocunq; impedimento ita contraxerint.*  
 197. *Eorum aliqui ipſò factò incurrunt excommunicationem:*  
 198. *Quæ tamen non afficit ſola ſponſalia,*  
 199. *Vel ipſum matrimonium ignoranter incuntes.*  
 200. *Legales pœna nuptiarum inceſtarum Jure Canonico ſublata non ſunt.*

193. **C**Um impedimento dirimente matrimonium ineuntes, quando id ſcienter faciunt, graviffimè peccant & gravibus pœnis obnoxii ſunt; neque enim ſolum, ſi in impedimento diſpenſationem non obtineant, matrimonii omni uſu interdictò, ſeparantur: ſed inſuper eorum carnali commercio procreatæ proles illegitimæ ſunt, *c. Cauſam 4. & c. Referente 10. Qui filii legitimi*, ſaltem, ſi impedimenti ſcientiam habuit uterque, ex decreto Concilii Lateranenſis, relato *c. ſin. §. Si quis, de Clauſeſt. deſponſat.* vel, ſi ejus quidem notitiam neuter habuit, inter eos tamen matrimonium, denuntiationibus temerè omiſſis, ac proinde clam initum fuit, *§. Si quis cit. de quo caſu ſpecialiter actum eſt Tit. 3. à n. 84.*

Vestiſſis Concilii Lateranenſis inhaerent S. Synodi Tridentinæ Patres, quorum decretum eſt, *Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur & ſpe diſpenſationis conſequenda careat. Quodſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo neglexerit, eidem ſubiiciatur pœnia. Non enim dignus eſt, qui Eccleſia benignitatem facile experiat, cujus ſalubria præcepta temere contempſit. Quò decreto perinde, ut §. Si quis cit. juxta dicta cit. Tit. 3. à n. 83. non ſolum cum conſanguinitatis, affinitatis vel alio ſimili, ſed cum quocunq; alio impedimento dirimente matrimonium contrahere præſumentes affici, cum Philiarcho de Officio Sacerd. Tom. 1. p. & Lib. 2. cap. 13. pr. Sanchez Lib. 3. de Matrim. diſp. 42. n. 7. Sanctarello Lib. 1. Var. Reſol. q. 54. n. 3. & aliis reſolvit Barbola in cit. cap. 5. n. 2. & Curia Romanæ ſtylo ſeu praxi receptum, atque adverſus contradictores firmatum, teſtis eſt Corradus Prax. Diſpenſ. Apoſtol. Lib. 8. cap. 3. n. 2. Rationem hic Auctor eandem reddit, ob quam ex hujusmodi matrimoniis procreatas ſoboles natalium defectu laborare, paulò antè eſt dictum. Quam confirmat; quòd ex una, S. Synodi Patrum mens & intentio fuerit, in ſuarum animarum ſpiritualem ruinam matrimonia cum impedimento dirimente contrahere præſumentium temeritatem refrenare: gradum verò prohibitorum ſolummodo meminerint exempli gratiâ, & quocunq; caſus, lege Eccleſiaſtica irritante, prohibitos intellexerint: ex altera verò parte, non tam verborum proprietas & cortex, quam ſenſus & ſtatuentis vel reſcribentis mens ſit attendenda, per diſertos textus *c. Propterea 8. de V. S. & l. Scire leges 17. ff. de LL.* Accedit; quòd, ſicut Concilium La-*



lium Lateranense *c. fin. cit. sic* & Tridentinum *cap. 5. cit.* cetera impedimenta dirimentia comprehendat verbis, *Si verò solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur* : & sicut illius, sicutiam istius decretò impedimenta dirimentia, ad quæ detegenda Ecclesiastica denuntiationes adhibentur, omnia comprehendere frequentissimo DD. calculò & Curia Romanæ stabili usu sit receptum.

197. Demum Clemens V. in Concilio Viennensi *Eos, qui scienter in gradibus consanguinitatis vel affinitatis constitutione Canonica interdictis, aut cum Monialibus contrahere matrimonialiter non verentur* : nec non Religiosos & Moniales & Clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonia contrahentes excommunicationis sententia ipsò factò subjacere decrevit, ut, habet textus *Clement. Unica de Consang. & Affinit.* Quæ censura, licet à prædictis personis ipso contractu matrimonii incurratur, neque ipsius consumatio exigatur, secundum Glossam in *Clem. cit. V. Contrahere Imolam ibi n. 9.* & Barbosa *n. 20.* non tamen ad eam incurrendam sufficit contractus sponsalium de futuro; quantumvis enim matrimonio aliquibus propter Canonicum impedimentum interdictò, ipsis etiam sponsalia, tanquam via ad illud, interdicta videantur, *l. Oratio 16. ff. de Sponsal.* pœna tamen, etiam à Jure matrimonium contrahentibus inflicta, sponsalia contrahentes non afficit, Glossa *V. cit.* & Imola *n. 10.*

199. Neque etiam sufficit matrimonium contractum cum ejusmodi impedimenti ignorantia, sive hæc Juris aut Facti, vincibilis aut invincibilis sit: dummodo non sit affectata, *cit. Imolan. 4. & Navarrus Manual. cap. 27. n. 141.* cum; quia textus exigit scientiam: quæ cum ad pœnam incurrendam exigitur, quævis ignorantia

excusat: dummodo non sit affectata; quia ista moraliter scientiæ æquiparatur, Suarez *de Censur. disp. 23. f. 5. n. 13. & cit. Sanchez Lib. 7. disp. 48. n. 19.* tum verò; quia excommunicatio Jure lata ab ignorantibus non incurritur, *c. fin. de Constitut. in 6.* cum sit pœna Medicinalis; Jure introducta; ut sui horrore absterreat à contemptu potestatis Ecclesiasticæ &c. *c. Ex parte 23. de V. S.* hanc autem contemnere, qui Jure proditum impedimentum ignorat, dici non possit, *cit. Suarez disp. 4. f. 9. n. 19.*

Neque matrimonialis contractus celebratus cum infideli, cognata Legali vel Spirituali, aut cum publicæ Honestatis vel alio impedimento dirimente, ut in *Clement. cit.* notat Glossa *V. Eos, Imola cit. n. 4.* Barbosa in *Clement. cit. n. 11.* & Bonacina *de Censur. disp. 4. 2. p. 7. n. 20.* quia textus solum agit de contrahentibus cum consanguinitatis, affinitatis, voti solennis & Religiosum constituentis impedimentis, & pœnalem suam dispositionem ad ista satis clarè restringit. Unde tamen, & ex *Clement. cit.* verbis, *In gradibus constitutione canonica interdictis*, perperam inferitur, excommunicationem illam non incurri matrimonio inter patrem & filiam, matrem & filium contractò; quia inter hujusmodi personas matrimonium, sicut Jure Naturali & Divino, sic & constitutione Canonica prohibetur, *can. Conjunctiones 2. can. Progeniem 16. Ec. 35. q. 2. c. cit.* Glossa *V. Canonica Sanchez n. 15. & Barbosa n. 19.*

Neque etiam perseverantia in matrimonio cum consanguinitatis aut affinitatis &c. impedimento bonâ fide, sive à personis, ejus ignorantiam non affectatam habentibus, contractò, Glossa *ibid. V. Scienter*, ubi Panormit. *n. 4.* quia *Clement. cit.* non quamcunque incestuosam cohabitationem, sed incestuosas & sacri-

legas ejusmodi nuptias contrahere non verentium temeritas punitur, Suarez *cit.* f. 5. n. 21.

200. Eiusdem Clementinæ constitutionis §. fin. in eo, quem antè habuerunt, vigore relinquuntur & confirmantur pœnæ incestuarum nuptiarum, non solum Canoni-

cæ ad superiores Rubricas serè declarata, sed etiam Legales, l. Qui contra 4. l. Si quis 6. Auth. Incestus Ec. C. de Incest. & inut. nupt. prodita, ut cum Boërio observat Corradus Lib. 8. Prax. Dispens. Apost. cap. 3. n. 30.



## TITVLVS XVII.

### Qui Filii Legitimi sint.

**N**uptiarum Nuptiarum præcipuus effectus est ex iis susceptorum liberorum legitima Jurèque approbata nativitas: quæ proinde post illarum contractum & impedimenta expedita, huic Rubricæ subjectis textibus declaratur.

#### ARTICVLVS I.

#### De Liberis legitimè Natis.

#### SUMMARIUM.

1. Filiorum nomine veniunt utriusque sexus liberi:
2. Quorum alij Legitimi, alij Illegitimi:
3. Et illi vel Legitimi tantum, vel etiam Naturales:
4. Isti Naturales aut Spurij,
5. Et hi serè Adulterini, Sacrilegi, Incestuosi aut Nefarij sunt.
6. Legitimi sunt nati ex conjugio, bonâ fide,
7. Saltem ab uno parente,
8. Et ab infidelibus cum Juris Ecclesiastici impedimento inito.
9. Illegitimi sunt nati ex conjugio cum impedimento àiamente scilicet,
10. Aut ignoranter, sed sine denuntiationibus, contractis.
11. Idque in foro saltem externo:
12. Imò etiam in interno;
13. Ob bonæ fidei Jure requisita defectum:
14. Ex conjugio invalido, inito errore Juris, natam prolem legitimam esse, negantium,
15. Et affirmantium vera Opinio;
16. Etiam cum error Juris liquidus est,
17. Ex dubitantibus de impedimento post,
18. Non etiam ante id detectum nata illegitima est:
19. Nisi conjugium cum dubio de impedimento initum sit.
20. Spurij sunt, ex solutis continentia voto solenni:
21. Et ex simplici voto ligatis nati, naturales.
22. Legiti-